




OJ
INTER FOLIA FRVCTVS

DIEM SACRUM

AB S. LUDOVICI NOMINE

NUNCUPATUM

IN HONOREM

SERENISSIMI ET POTENTISSIMI

PRINCIPIS ET DOMINI

LUDOVICI III

MAGNI DUCIS HASSIAE ET AD RHENUM

CIVIBUS

ACADEMIAE LUDOVICIANAE

OMNI QUA PAR EST

OBSERVANTIA ET REVERENTIA

CELEBRANDUM

RECTOR CUM SENATU

INDICIT.

SUBJICITUR LUD. LANGII DE SOPHOCLIS ELECTRAE STASIMO SECUNDO COMMENTATIO.

GISSAE.

TYPIS GEORGII DANIELIS BRUEHLI TYPOGR. ACAD.

MDCCCLIX.

In carmine praestantissimo, quod in Sophoclis Electra inde a versu 1058 usque ad versum 1097 legitur, praeter locos, qui interpretandi difficultate laborant, extant menda quoque nonnulla librariorum sive ignorantia sive negligentia orta, quae nisi sublata erunt, sperare non possumus fore ut poetae sententiam per singulas carminis partes assequamur. Operam igitur dabimus, ut et lites interpretum de difficiliorum locorum sententia disceptemus et mendis illis sublatis genuinas lectiones conjectura restituamus. Qua in re id maximo nobis adjumento erit, quod, quum singulorum locorum sententia ei sententiae accommodata esse debeat, qua quasi fundamento totum carmen superstructum est, de hac sententia nulla potest existere dubitatio. Praedicat enim chorus pietatem Electrae, quae fratris morte, quam simulasse paedagogum nondum compererat, et sororis timiditate, quam colloquio paullo antea cum ea habito cognoverat, in eam conditionem adducta erat, ut sibi soli munus patris ulciscendi relictum esse intelligeret, neque tamen eo minus fortissimo animo Aegisthi interficiendi consilium ceperat.

Dissensio interpretum, quam modo significavi, statim ab initio carminis in interpretanda interrogatione illa cernitur, qua poeta carmen orditur:

Τί τοὺς ἄνωθεν φρονιμωτάτους οἰω-
νοὺς ἐσορώμενοι τροφᾶς
κηδομένους ἀφ᾽ ὧν τε βλά-
στωσιν ἀφ᾽ ὧν τ᾽ ὄνησιν εὕ-
ρωσι, τάδ᾽ οὐκ ἐπ᾽ ἴσας τελοῦμεν;

Quorum quidem verborum sententia per se spectata haudquaquam est obscura; significant enim: „cur non imitamur ciconias pietate erga parentes insignes?“ Nec dubitari potest, quin chorus modestia quadam ductus prima verbi persona ob eam causam usus sit, ne eum, quem ante oculos haberet, diserte nominaret [1]). Quem autem ante oculos habuerit, hoc ipsum est, quod quaeritur. Atque Clytaemnestram quidem non significari, quae erat sententia scholiastae Laurentiani [2]), per se patet. Etsi

1) Schol. Laur. ad v. 1062 καλῶς ὁ χορὸς καὶ ἑαυτὸν συγκαταλέγει, ἵνα μὴ δοκῇ φορτικὸς εἶναι τούτοις, καθ᾽ ὧν τὸν λόγον πεποίηται.

2) Schol. Laur. ad v. 1058 οἰκεῖον δὲ τῷ χορῷ ἀγανακτοῦντι ἐπὶ τῇ Κλυταιμνήστρᾳ τὸν περὶ τῶν ἀλόγων ἐνταῦθα περιλαβεῖν λόγον, ὅτι ἐν τοῖς ἀλόγοις ζώοις φυσική τις ἐστὶ φιλοστοργία. ἡ δὲ Κλυταιμνήστρα ἄστοργος.

enim Clytaemnestra amorem illum, quem lex naturalis inter uxorem et maritum constituit, foedissime inquinaverat, ciconiarum tamen, quarum pietatem erga parentes Sophocles celebrat, exemplum non uxori, sed liberis tantummodo aptum est. Qui autem in eo acquiescunt, ut de liberis Agamemnonis sermonem esse dicant, Godofredus Hermannus et Guilielmus Dindorfius, ei obliti sunt, conditionem duarum Agamemnonis filiarum prorsus esse diversam, ita ut interrogatio illa aut ad Electram aut ad Chrysothemidem, non ad utramque, referenda esse videatur. Verba autem illa aut in laudem Electrae aut in vituperationem Chrysothemidis accipienda sunt. Nam etsi negari non potest, laudem Electrae in se continere vituperationem Chrysothemidis, et invicem vituperationem Chrysothemidis laudem Electrae — id quod necessario ex ipsa illa diversa sororum conditione consequitur —, hoc tamen quaeritur, choro utrum laudandae Electrae an vituperandae Chrysothemidis consilium tribuendum sit primarium. Atque in laude Electrae cardinem sententiae verti censuerunt Hartungius et Luebkerus [3]), in vituperatione Chrysothemidis contra Triclinius [4]) et, qui eum secuti sunt, Wunderus, Schneidewinus, Nauckius. Utra interpretatio vera sit, ipsa interrogationis forma docet. Formula enim τί οὐ poeta in interrogationibus ea vi utitur, ut indignationem interrogantis de re aliqua neglecta indicet, id quod neque eum scholiastam fugit, qui causam exposuit, cur chorus prima persona numeri pluralis usus esset (v. adn. 1), neque eum, qui falso Clytaemnestram choro indignationem movisse arbitratus est (v. adn. 2). Conferantur loci:

Oed. Reg. 1002	τί δῆτ᾽ ἐγὼ οὐχὶ τοῦδε τοῦ φόβου σ᾽, ἄναξ, ἐπεί περ εὔνους ἦλθον, ἐξελυσάμην;
Oed. Reg. 1391	ἰὼ Κιθαιρών, τί μ᾽ ἐδέχου; τί μ᾽ οὐ λαβὼν ἔκτεινας εὐθύς;
Antigon. 1308	ἀνέπταν φόβῳ· τί μ᾽ οὐκ ἀνταίαν ἔπαισέν τις ἀμφιθήκτῳ ξίφει;

3) Hartung. ad v. 1029 »*Offenbar lobt und billigt hier der Chor (und in ihm der Dichter) einzig die Handlungsweise der Elektra im Gegensatze zu der ihrer Schwester. Und eben weil dieses Handeln so fromm und richtig ist, so kann es nicht ewig unbelohnt bleiben, kann die Vergeltung des Mordes nicht mehr lange ausbleiben. So hängen die beiden Gedanken innig zusammen. Denn der Scholiast hat vollkommen Recht, indem er* οὐκ ἀπόνητοι *auf den Aegisth und die Klytämnestra bezieht.*« Luebker, *zergliedernde und vergleichende Würdigung der Elektra (Parchim 1851), p. 15* »*Jetzt muss auch der Chor Parthei ergreifen und wendet sich nunmehr unbedenklich und ganz der Elektra zu, deren Pietät ihm als eine so natürliche erscheint, wie die Pflege der jungen Störche auf dem Dache für ihre Alten, dass er die Rache an den Frevlern dennoch für unausbleiblich halten, also auch den Entschluss der Elektra für einen mit Erfolg gekrönten halten muss.*«

4) Triclin. ad v. 1062 p. 375 Dind. τελοῦμεν] ποιοῦμεν καὶ αὐτοὶ εἰς τοὺς ἰδίους πατέρας. τοῦτο δὲ λέγει διὰ τὴν Χρυσόθεμιν, ὡς οὐ φροντίζουσαν τοῦ πατρός.

Quodsi igitur interrogatio indignationem chori prae se fert, non potest non in Chrysothemidis vituperationem accipi.

Interrogationem excipiunt verba:

ἀλλ᾽ οὐ μὰ τὰν Διὸς ἀστραπάν
καὶ τὰν οὐρανίαν θέμιν
δαρὸν οὐκ ἀπόνητοι.

Quorum verborum interpretationem ab interpretatione interrogationis pendere nemo est quin videat, quum vituperationem Chrysothemidis non eadem sententia sequi possit ac laudem Electrae vel vituperationem Clytaemnestrae. Quae autem verborum sententia sit, videbimus, si de lectione primi versus monuerimus. Neque enim probandum est, quod editores recentiores praeter Bergkium omnes ibi voculam μά omiserunt, quanquam auctoritate codicis Laurentiani fulcitur. Nimirum decipi se passi sunt a Triclinio, qui propter metrum versus antistrophici:

Ἠλέκτρα τὸν ἀεὶ πατρός

voculam illam ejiciendam putavit et de omissa in obtestationibus particula μά ad usum Atticorum provocavit [5]). Potuisse omitti μά particulam ex usu Atticorum et ipsius Sophoclis [6]) libenter concedo, debuisse non item. Immo rectissime Bergkius μά restituit, quia, quum versus antistrophicus aperte corruptus sit, sana artis criticae ratio eo potius nos ducit, ut in antistrophico versu syllabam addamus, quam ut ex strophico syllabam detrahamus.

Jam vero quaeritur, qui sint ei, qui non diu sine malis esse dicantur. Major numerus interpretum Aegisthum et Clytaemnestram significari putat. Ac profecto, si Clytaemnestra interrogatione vituperaretur, per grammaticae leges sine dubio locum ita interpretari liceret. Nec scholiastae Laurentiano illi, qui revera Clytaemnestram vituperari existimabat (adn. 2), magnopere vitio verti debet, quod locum ita interpretatus est [7]). Transitus enim a Clytaemnestra ad Clytaemnestram et Aegisthum, etiam non nominatos, satis facilis esset, nec offensionem haberet omissa copula ἔσονται. Atqui interrogatione non vituperatur Clytaemnestra; ergo fundamentum, quo solo interpretatio illa nititur, concidit. Quae quum ita sint, eo majore jure reliquis interpretibus, qui quidem Aegisthum et Clytaemnestram significari putant,

5) ad v. 1063 p. 375 Dind. οὐ χρὴ τὸ μὰ ἐντὸς τοῦ κώλου γράφειν. περισσὸν γάρ ἐστι. διὸ καὶ ἐξεβλήθη παρ᾽ ἐμοῦ. νοεῖν δὲ χρὴ τοῦτο ἔξωθεν ἀττικῶς· οὗτοι γὰρ οὐ μόνον τὸ μὰ λαμβάνουσιν ἔξωθεν, ὡς τὸ οὐ τὰν, ἀλλὰ καὶ τὸ μὰ τιθέντες τὸ τοῦ θεοῦ παραλείπουσιν ὄνομα.

6) Cf. Oed. R. 660. 1088. Ant. 758. El. 1039. Contra οὐ μά invenitur El. 626 ἀλλ᾽ οὐ μὰ τὴν δέσποιναν Ἄρτεμιν, θράσους | τοῦδ᾽ οὐκ ἀλύξεις, εὖτ᾽ ἂν Αἴγισθος μόλῃ.

7) ad v. 1065 ἀντὶ τοῦ οὐκ ἐπιπολὺ ἔσονται ἀθῷοι οἱ περὶ Αἴγισθον καὶ Κλυταιμνήστραν.

vitio vertemus, quod scholiastae auctoritate lubrica perducti locum ita interpretati sunt, quanquam ejusdem scholiastae auctoritate repudiata interrogationem ad Clytaemnestram non retulerunt. Sunt autem G. Hermannus, G. Dindorfius, Hartungius, Luebkerus, qui interrogationem et ipsi falso intellexerant; praeter eos vero etiam Triclinius [8]), qui inter graecos interpretes solus eam recte in vituperationem Chrysothemidis acceperat. Quorum interpretandi ratio propter duas potissimum causas ferri non potest. Primum enim, sive interrogationem ad liberos Agamemnonis, sive ad alteram utram filiarum spectare censes, transitus ab his ad Clytaemnestram et Aegisthum, non nominatos, tantam difficultatem habet, ut Sophoclem eum auditorum divinationi reliquisse persuadere mihi non possim. Nihili enim est, quod Triclinius chorum prae timore nomina reticere putat. Toleramus simplicem reticentiam, qualem in interrogatione, qua tecte chorus Chrysothemidem carpit, invenimus; non toleramus in eodem verborum ambitu duplicem reticentiam, eamque diversorum prorsus nominum. Accedit, quod, sive laudari Electram sive vituperari Chrysothemidem statuis, aliena est a totius carminis nexu sententiarum poenae Aegisthi et Clytaemnestrae tam confidens commemoratio. Cum antecedenti quidem interrogatione consociari posset quodammodo haec commemoratio, si necessaria esset interpretatio illa; sententia nimirum esset aut: „cur non, ut Electra, ciconiarum more parentes colimus? at, *si hoc faciemus,* non diu sine malo erunt Aegisthus et Clytaemnestra“ [9]); aut: „cur non ciconiarum more Chrysothemis curat parentes? at, *si hoc faciet,* non diu sine malo erunt Aegisthus et Clytaemnestra.“ Cum sequentibus autem commemoratio illa poenae certissimae nullo pacto consociari poterit. Si enim reputaverimus, in antistropha demum posteriore mentionem victoriae Electrae fieri, eamque victoriam optari tantummodo, haudquaquam tanquam certam praedici (ζώῃς τοι καθύπερθεν χειρὶ καὶ πλούτῳ τεῶν ἐχθρῶν ὅσον νῦν ὑπόχειρ ναίεις), facile intelligemus, in initio carminis non tam confidenter chorum poenam Aegisthi et Clytaemnestrae praedicere potuisse. Restat igitur, ut cum scholiasta recentiore [10]), quem Wunderus, Schneidewinus, Nauckius sequuntur, verba δαρὸν οὐκ ἀπόνητοι ad eandem Chrysothemidem referamus, ad quam interrogationem spectare vidimus. Pluralis certe numerus nullam difficultatem habet, quippe quo poeta utatur, ut chorus Chrysothemidem tecte tantummodo significare pergat.

8) ad v. 1065 p. 375 Dind. οὐκ ἀπόνητοι] ἤγουν ἀτιμώρητοι ἔσονται Κλυταιμνήστρα καὶ Αἴγισθος. ἐσιώπησε δὲ τοῦτο, φοβουμένη διὰ τὸ δεσπότας εἶναι.

9) Hac ratione sententias inter se cohaerere arbitrantur Hartungius et Luebkerus, quorum verba in adn. 3. perscripsi.

10) Schol. rec. ad v. 1065 p. 269. Dind. ἀποίνητοι] ἀτιμώρητοι, ἐσόμεθα δηλονότι.

Supplebimus autem neque ἐσόμεθα cum scholiasta recentiore, neque ἐσμέν cum Nauckio, sed interrogationis constructionem secuti: τάδ' οὐκ ἐπ' ἴσας τελοῦμεν, ita ut in ἀπόνητοι usus praedicativus idem agnoscatur, cujus exempla notissima participia κλαίων et οὐ χαίρων suppeditant [11]). Sententiarum vero nexui commemoratio poenae Chrysothemidi imminentis prorsus accommodata est. Ut enim poeta a vituperatione impietatis Chrysothemidis initium capit et laude pietatis Electrae carmen claudit, ita praemio, quod Electrae sub finem carminis propter pietatem optat, poena Chrysothemidi propter impietatem imminens in initio carminis commemorata respondet. Compositio igitur totius carminis haec est, ut non solum in metris antistrophicus ordo cernatur, sed etiam sententiae sententiis quasi demensae et aequales respondeant. Quod autem G. Hermannus gravem illam Jovis ac Themidis obtestationem frigidam fore in ea sententia, quam exposuimus, existimabat, non reputavit vir summus, curam parentum ex Graecorum sententia hominibus imperatam esse lege non scripta [12]), leges autem non scriptas ab ipso Jove originem ducere, earumque violatores ab ipso Jove puniri [13]). Neque magis Hermanno concedere possum, adverbium δαρὸν plane fore supervacaneum, nisi ad Aegisthum et Clytaemnestram spectaret. Sine dubio enim vis sententiae generalis, qua chorus ad notandam Chrysothemidis impietatem utitur, eo augetur, quod dicitur, fore non solum ut eiusmodi impietas puniatur, sed etiam ut non diu impunita maneat.

Chorus postquam Chrysothemidis impietatem vituperavit poenamque ei imminere significavit, Famam invocat eamque rogat, ut tristem nuntium Atridis afferat:

ὦ χθονία βροτοῖσι φά-
μα, κατά μοι βόασον οἰκ-
τρὰν ὄπα τοῖς ἔνερθ' Ἀτρεί-
δαις, ἀχόρευτα φέρουσ' ὀνείδη.

Quo in loco gravis est dissensio interpretum de sensu pluralis τοῖς ἔνερθ' Ἀτρείδαις. Atque Hartungius [14]) quidem eos intelligit, quos sexcenties Atridas nominari constat, Agamemnonem et Menelaum. Quem errorem non commisisset vir doctus, si meminisset, secundum Homerum Menelaum post interfectos Aegisthum et Clytaemnestram

11) Exempla Sophoclea a nobis congesta invenies in: *Verhandlungen der Wiener Philologenversammlung. Wien 1859. p. 49, adn. 134.*

12) Xen. Mem. 4, 4, 20. Naegelsbach, *nachhomerische Theologie. Abschnitt 1. §. 51. 52.*

13) Soph. Oed. Reg. v. 863 sqq.

14) ad v. 1042 *»Der Ruf soll den Atriden (bekanntlich Agamemnon und Menelaos) in die Unterwelt hinabschreien die Kunde, dass das Haus zerrüttet sei.«*

inter vivos etiamtunc versari [15]), neque ullam cogitari posse causam, cur Sophocles hac in re Homericae narrationis vestigia desereret. Scholiasta autem Laurentianus optionem dat, ut *aut* Agamemnonem *aut* Orestem intelligamus [16]). Atqui Orestem, qui v. 182 παῖς Ἀγαμεμνονίδας vocatur, licet eum Atridam nominari potuisse concedamus, hoc loco a poeta nullo pacto significari potuisse, ex verbis antistrophae, ut Wunderus recte monuit, luculentissime apparet. In verbis enim ὅτι — τὰ πρὸς τέκνων διπλῆ φύλοπις οὐκ ἔτ' ἐξισοῦται φιλοτασίῳ διαίτᾳ sine dubio τέκνα sunt Agamemnonis, non Orestis. Ac profecto idem argumentum G. Hermanni quoque et G. Dindorfii interpretationi obstat, qui Agamemnonem *et* Orestem intelligunt. Accedit, quod vehementer dubitandum est, num Sophocli per sermonis graeci usum licuerit patrem et filium nomine patronymico Atridarum complecti. Quis enim unquam Achillem et Neoptolemum Pelidas, Ulixem et Telemachum Laertiadas appellavit? Prorsus enim alia est res, si tota stirps quaedam nomine patronymico comprehenditur, cujus usus exempla Sophocles in stirpe Labdacidarum [17]), Pelopidarum [18]), Erechthidarum [19]), Sisyphidarum [20]), ipsorum denique Atridarum [21]) suppeditat. Repudiatis igitur hisce interpretationibus priorem scholiastae explicationem amplexi solum Agamemnonem intelligemus, qua in re et Triclinium [22]) et ex recentiorum interpretum numero Wunderum, Schneidewinum, Nauckium adsentientes habemus. Neque enim pluralis numerus de solo Agamemnone usurpatus offensionem habet. Nam etsi inde huic plurali auxilium non petiverim, quod Agamemnonis corpus in ipsa Electrae fabula non σῶμα sed σώματα appellatur [23]), propius tamen ad loci, quem tractamus, rationem accedit alter locus, ubi Agamemnonem dominum poeta plurali numero δεσπότας significavit [24]). In nomine autem patronymico numerus pluralis ad unum

15) Hom. Od. γ, 311. δ, 546.

16) Schol. Laur. ad v. 1068 τοῖς ἔνερθ' Ἀτρείδαις] ἢ Ἀγαμέμνονα ἢ Ὀρέστην. δοκοῦσι γὰρ αὐτὸν τεθνηκέναι.

17) Soph. Antig. 859 τοῦ τε πρόπαντος | ἁμετέρου πότμου | κλεινοῖς Λαβδακίδαισιν. ib. 593 ἀρχαῖα τὰ Λαβδακιδᾶν οἴκων ὁρῶμαι | πήματα φθιτῶν ἐπὶ πήμασι πίπτοντ'. Oed. Col. 222 τό τε Λαβδακιδᾶν γένος.

18) Soph. El. 10 πολύφθορόν τε δῶμα Πελοπιδῶν τόδε. ib. 1498 τά τ' ὄντα καὶ μέλλοντα Πελοπιδῶν κακά.

19) Huc pertinet, quod Cleopatra, neptis Erechthei apud Soph. Antig. 981 σπέρμα Ἐρεχθειδᾶν nominatur. Cf. Aj. 201 ναὸς ἀρωγοὶ τῆς Αἴαντος | γενεᾶς χθονίων ἀπ' Ἐρεχθειδᾶν.

20) Ulixes significatur apud Soph. Aj. 190 verbis ἢ τᾶς ἀσώτου Σισυφιδᾶν γενεᾶς.

21) Soph. El. 651 δόμους Ἀτρειδῶν σκῆπτρα τ' ἀμφέπειν τάδε. Eur. Iph. Taur. 141 σπέρμ' Ἀτρειδᾶν τῶν κλεινῶν. Orest. 1537 ἰὼ ἰὼ τύχα | ἕτερον εἰς ἀγῶν', ἕτερον αὖ δόμος | φοβερὸν ἀμφὶ τοὺς Ἀτρείδας πίτνει.

22) ad v. 1067 p. 376 Dind. εἰκότως εἶπε τὸ καταβόησον, ἐπειδὴ ἐπὶ κατηγορίᾳ Αἰγίσθου καὶ Κλυταιμνήστρας ὁ παρὰ τῆς φήμης πρὸς Ἀ γ α μ έ μ ν ο ν α λόγος γενήσεσθαι ἔμελλεν.

23) El. 1232 ἰὼ γοναί, | γοναὶ σωμάτων ἐμοὶ φιλτάτων. Animadvertendum tamen est, hujus loci interpretationem et ipsam non satis certam esse.

24) El. 764 φεῦ φεῦ. τὸ πᾶν δὴ δεσπόταισι τοῖς πάλαι | πρόῤῥιζον, ὡς ἔοικεν, ἔφθαρται γένος. Quo in loco eodem jure Sophoclem dicere potuisse: Ἀτρείδαισι τὸ πᾶν γένος πρόῤῥιζον ἔφθαρται, negari non poterit.

aliquem designandum usurpatus eo justiorem excusationem habet, quod totius stirpis imago quodammodo cum imagine ejus, qui proprie intelligendus est, conjungitur. Nec profecto aliter atque hoc loco plurali numero nominis patronymici Labdacidarum ad unum Laium significandum Sophocles usus est:

Oed. Reg. 489 τί γὰρ ἢ Λαβδακίδαις
ἢ τῷ Πολύβου νεῖκος ἔκειτ᾽;

Oed. Reg. 495 ἐπὶ τὰν ἐπίδαμον φάτιν εἶμ᾽ Οἰδιπόδα Λαβδακίδαις
ἐπίκουρος ἀδήλων θανάτων.

Jam ad antistropham transeamus, cujus primi versus indicant, quae Fama Agamemnoni nuntiare jubetur:

ὅτι σφίσιν ἤδη τὰ μὲν ἐκ δόμων νοσεῖ,
τὰ δὲ πρὸς τέκνων διπλῆ
φύλοπις οὐκ ἔτ᾽ ἐξισοῦ-
ται φιλοτασίῳ διαί-
τᾳ.

Quae verba corrupta esse ex turbato metri ordine apparet. In primo enim versu vocabula σφίσιν ἤδη non respondent vocabulo trisyllabo ἄνωθεν; in secundo autem versu deest syllaba ad mensuram glyconei complendam.

Atque prius illud mendum duplici modo tolli poterit; aut enim σφὶν ἤδη cum Schaefero, Elmslejo (ad Eur. Med. 1345), G. Hermanno, Dindorfio, Wundero, Schneidewino, Hartungio, Bergkio, aut σφίσιν δὴ cum Erfurdtio et Nauckio restituemus. Quarum correctionum utra praeferenda sit, tum demum dijudicare poterimus, si rationem, quae inter duo membra particulis μὲν et δὲ distincta intercedit, accuratius perspectam habuerimus. Quam rationem ut cognoscamus, ab interpretatione singulorum membrorum proficiscamur necesse est.

Posterius membrum aperte ad discordiam sororum spectat. Constructio verborum quamvis inusitata sit, corruptelae tamen suspicionem movere non potest. Nam poetae verba sunt, quae interpretamur, non scriptoris orationis pedestris. Subjectum nimirum est φύλοπις διπλῆ, i. e. φύλοπις διπλῶν τέκνων, discordia duarum filiarum. De hac ea, quae poetam decet, audacia praedicatur: οὐκ ἔτ᾽ ἐξισοῦται φιλοτασίῳ διαίτᾳ, i. e. „non jam sanatur [25]) familiari consuetudine." Articulum τὰ in verbis τὰ πρὸς τέκνων pro accusativo, quem vocant accuratioris definitionis, habendum esse patet. Atque hoc quidem non fugit Wunderum et Schneidewinum, quorum ille

25) Germanica lingua dicas: *„der Streit der Schwestern wird nicht mehr* *ausgeglichen* *durch freundschaftliche Lebensgemeinschaft."*

vim accusativi verbis latinis „quod attinet ad liberos“, hic verbis germanicis *„die Lage der Kinder anlangend“* expressit; erraverunt tamen viri docti, quod verba τὰ πρὸς τέκνων eo sensu dicta putarunt, quasi „conditionem liberorum“ significarent. Eundem errorem in interpretandis prioris membri verbis τὰ ἐκ δόμων commiserunt, quae et ipsa haudquaquam „conditionem domus“ significare possunt. Attractio enim illa, qua τὰ ἐκ δόμων pro τὰ ἐν δόμοις aut τὰ πρὸς τέκνων pro τὰ τῶν τέκνων dici potest, hoc loco nullo pacto, id quod Hartungius [26]) rectissime monuit, statui poterit. Nam notio movendi, qua attractionem illam aliis locis niti videmus, neque adest neque ullo modo suppleri potest, si conditionem liberorum et conditionem domus interpretamur [27]). Nec tamen propterea de interpretatione loci adeo desperandum est, ut cum Hartungio totum locum foedissimis corruptelis inquinatum esse censeamus [28]). Verba enim τὰ πρὸς τέκνων prorsus recte se habent, dummodo ea „conditionem Agamemnonis“ interpreteris, „quatenus a liberis pendeat.“ Plane eodem modo Attici dicunt: Ἀθηναῖον εἶναι καὶ τὰ πρὸς πατρὸς καὶ τὰ πρὸς μητρός [29]).

In priore igitur membro τὰ ἐκ δόμων eandem rationem secuti interpretabimur „conditionem Agamemnonis, quatenus a domo pendet.“ Inter verba τὰ ἐκ δόμων et τὰ πρὸς τέκνων id tantum discriminis intercedit, quod in illis articulus τὰ non est accusativus, sed subjecti locum tenet, ita ut conditio Agamemnonis, quatenus a domo pendeat, ipsa aegrotare dicatur. Jam vero quaeritur, quo hoc sensu dicatur.

Ac fuerunt, qui prius membrum et ipsum, sicut posterius, ad novum aliquod ac recens malum esse referendum existimarent. Inter hos scholiasta Laurentianus est, qui laetitiam Clytaemnestrae, quam illa audito mortis Orestis nuntio aegre dissimulaverat, vituperari censet [30]). Attamen verba τὰ ἐκ δόμων generalis notionis speciem tam perspicue prae se ferunt, ut facti adeo specialis notio in iis latere non posse videatur. Accedit, quod laetitia Clytaemnestrae res exigui momenti est; parvi enim

26) ad v. 1042 „*Denn nun soll* τὰ μὲν ἐκ δόμων *für* τὰ μὲν ἐν δόμοις *(ohne irgend einen Anlass zur Attraction) gesagt sein, und dieses wieder für* οἱ δόμοι.“

27) Facile perspicietur, ne loci quidem Sophoclei (Philoct. 1075), quem Schneidewinus adscripsit, conditionem similem esse: ὅμως δὲ μείνατ' εἰ τούτῳ δοκεῖ | χρόνον τοσοῦτον, εἰς ὅσον τά τ' ἐκ νεώς | στείλωσι ναῦται καὶ θεοῖς εὐξώμεθα. Luce enim clarius est notionem movendi in ipso verbo στέλλειν inesse, quod de erigendo malo et de velis pandendis intelligendum est.

28) Hartungius audacia non minus admirabili quam intolerabili scripsit: ὅτι σφιν ἤδη τὰ μὲν ἐκ δόμων ὄλωλεν τέκνα, πρὸς δὲ τῶν διπλῆ etc.

29) Cf. Dem. adv. Eubulidem §. 17 δεῖξαι πρὸς ὑμᾶς ἐμαυτὸν Ἀθηναῖον ὄντα καὶ τὰ πρὸς πατρὸς καὶ τὰ πρὸς μητρός.

30) ad v. 1069 ὀνείδη δέ, τὰ πένθιμα ὀνείδη· ἐπειδὴ ὄνειδος ἦν τῇ Κλυταιμνήστρᾳ ἐπιχαίρειν Ὀρέστῃ. ad v. 1070 ὅτι σφίσιν ἤδη· ἡ ἀπότασις πρὸς τὴν Κλυταιμνήστραν· ἄγγειλον οὖν, φησίν, ὅτι τὰ κατ' οἶκον νενόσηκεν καὶ οὐκ ἔστιν ὑγιῆ. Posterius scholion si ab alio profectum est ac prius, fieri potest, ut auctor ejus non cum prioris scholii auctore, sed cum Triclinio consenserit, cujus interpretationem mox commemorabo.

intererat Agamemnonis resciscere Clytaemnestram denuo odium suum in Agamemnonem comprobasse. Wunderus [31]) autem et Hartungius [32]), quibuscum Luebkerus [33]) quoque consentire videtur, non laetitiam Clytaemnestrae de morte Orestis, sed aliquanto probabilius ipsam mortem Orestis significari putant. Quod quominus probem, impediunt me verba antecedentia ἀχόρευτα φέρουσ᾽ ὀνείδη. Quo enim jure chorus ἀχόρευτον ὄνειδος, quale revera discordia sororum Agamemnoni attulit, morte Orestis Agamemnoni afferri dicere potuit? Res tristis est ut quae maxime; ignominiosa non item.

Alii interpretes verba τὰ μὲν ἐκ δόμων νοσεῖ non ad recens aliquod, sed ad vetera mala domus Agamemnonis referenda esse censuerunt. Quibus quidem grammatica ratio particularum μὲν et δὲ haudquaquam obstat. Saepenumero enim his particulis quum alii scriptores, tum vero etiam ipse Sophocles ita utitur, ut prius membrum, quod particula μὲν secundum grammaticam rationem in eodem ordine quo posterius positum est, revera, h. e. secundum logicam rationem, ei subjunctum sit talique modo majorem vim addat. Cujus usus, quem et G. Hermannus [34]) et Schneidewinus [35]) recte agnoverunt, Hartungius autem foedissime neglexit (v. adn. 32), exempla Sophoclea, quae mihi in promptu erant, infra posui [36]). Quanquam

31) ad v. 1053 „Denique sciendum est, locutione ὁ δόμος νοσεῖ, domus afflicta est, Chorum ad obitum Orestis respicere.“

32) ad v. 1042 *»Der Ruf soll den Atriden (bekanntlich Agamemnon u. Menelaos) in die Unterwelt hinabschreien die Kunde, dass das Haus zerrüttet sei* (νοσεῖ). *Wie? hat das Agamemnon nicht selbst bereits an dem Mordstreiche gespürt, als er ihm vom Aegisth und der Klytämnestra gegeben wurde? Diese Neuigkeit ist wenigstens 8 Jahre alt! Fragen wir also zuerst nach dem geforderten Sinne, d. h. nach dem Neuen, was begegnet, und wodurch die Noth des Hauses bis auf den höchsten Gipfel getrieben sei. Das ist erstlich der Tod des Orestes und zweitens die Entzweiung der Schwestern, mit einem Worte, die völlige Vereinsamung der Elektra, welche nun alle Noth des Hauses allein zu tragen hat. Dieser Sinn also musste hergestellt werden.“* Quanta audacia eum sensum Hartungius restituerit, vidimus in adn. 28.

33) L. c. p. 15 *»Der Zustand des Hauses ist ja ein schrecklich zerrütteter, der einzige Sohn gestorben, die Schwestern in unheilbarem Streite entzweit.“*

34) ad v. 1059 „Scilicet, ut saepe fit, prior pars enunciationis propter posteriorem addita est, hoc sensu: *quum jam laborent ex odio domestico* (i. e. Clytaemnestrae et Aegisthi), *accedere etiam rixas sororum.* Haec sententia apertius exprimeretur per participium, ὅτι σφιν ἤδη ἐκ δόμων νοσοῦσιν τὰ πρὸς τέκνων οὐχ ὁμοφρονεῖ.“

35) ad v. 1070 ff. *»Der Dichter stellt das untergeordnete Glied parataktisch, während man erwartete:* ὅτι σφὶν τὰ ἐκ δόμων ἤδη πάλαι νοσοῦσιν νῦν καὶ τὰ πρὸς τέκνων οὐκέτι ὁμοφρονεῖ.“ Quocum in re summa consentit Nauckius, nisi quod sententiam paulo aliter circumscribit: ὅτι σφίσιν, ὅτε τὰ ἐκ δόμων πάλαι νοσεῖ, νῦν καὶ τὰ πρὸς τέκνων οὐκέτι ὁμοφρονεῖ.

36) Soph. Aj. 434 ὅτου πατὴρ μὲν τῆσδ᾽ ἀπ᾽ Ἰδαίας χθονός | τὰ πρῶτα καλλιστεῖ᾽ ἀριστεύσας στρατοῦ | πρὸς οἶκον ἦλθε πᾶσαν εὔκλειαν φέρων, | ἐγὼ δ᾽ ὁ κείνου παῖς — | ἄτιμος Ἀργείοισιν ὧδ᾽ ἀπόλλυμαι. Ibid. 487 ἐγὼ δ᾽ ἐλευθέρου μὲν ἐξέφυν πατρός, | νῦν δ᾽ εἰμὶ δούλη. Phil. 159 ὡς δ᾽ ἔστ ἐμοὶ μὲν οὐχί, σοὶ δ᾽ ὁμιλία | πρὸς τόνδε πιστὴ καὶ βέβαιος, ἔκμαθε. Ibid. 173 νοσεῖ μὲν νόσον ἀγρίαν, | ἀλύει δ᾽ ἐπὶ παντὶ τῷ | χρείας ἱσταμένῳ. Ibid. 1043 ὡς ζῶ μὲν οἰκτρῶς, εἰ δ᾽ ἴδοιμ᾽ ὀλωλότας | τούτους, δοκοῖμ᾽ ἂν τῆς νόσου πεφευγέναι. Oed. R. 31 θεοῖσι μέν νυν οὐκ ἰσούμενόν σ᾽ ἐγώ, |

autem de ratione, quae priori membro cum posteriore intercedit, universa cum Hermanno et Schneidewino consentio, facere tamen non possum, quin in ipsa prioris membri interpretatione aliquantum ab eis recedam. Scilicet secuti sunt Triclinium, qui in priore membro accusationem Aegisthi et Clytaemnestrae inesse arbitratus est (v. adn. 22). Et G. Hermannus quidem (v. adn. 34) odium domesticum, ex quo Agamemno laboraverat, Schneidewinus [37]) autem interfectionem ipsam Agamemnonis significari existimavit. Quos propterea veram poetae sententiam assecutos non esse credo, quod Sophocles sine dubio, si odium vel facinus Clytaemnestrae, *uxoris* Agamemnonis, notare hoc loco voluisset, τὰ μὲν ἐκ γάμων, non τὰ μὲν ἐκ δόμων, scripturus fuit. Ac profecto erit fortasse, qui propter oppositam locutionem τὰ πρὸς τέκνων conjectura restituendum censeat: τὰ μὲν ἐκ γάμων. Quam conjecturam equidem speciosiorem quam veriorem judicaverim. Neque enim inest quidquam in priore membro, quo cogamur, ut odium vel facinus Clytaemnestrae notare voluisse poetam arbitremur; immo locutio, ut jam supra monui, tam generalis notionis speciem prae se fert, ut relationem nimis specialem, quaecumque ea sit, statuere vix debeamus. Multo magis generalis, quam odii vel facinoris Clytaemnestrae commemoratio, erit fati illius, quod domui Pelopidarum inde a Pelopis scelere impendebat, significatio. Eademque non solum multo gravior, meo quidem judicio, erit quam Clytaemnestrae accusatio, sed etiam sententiarum nexui prorsus accommodata, praesertim quum chori ingenio maxime consentaneum sit ipsam sororum discordiam ex eodem fato, tanquam ex inexhausto fonte malorum, derivari. Ne quis autem censeat, fati notionem nos invito poeta verbis ejus obtrudere, monendum est ipsius domus notionem eum, qui tragicorum poetarum loquendi usum cognitum habuerit, protinus fati domui impendentis commonefacere. Conferantur loci Sophoclei:

Antig. 184 οἷς γὰρ ἂν σεισθῇ θεόθεν δόμος, ἄτας
οὐδὲν ἐλλείπει γενεᾶς ἐπὶ πλῆθος ἕρπον.

οὐδ' οἵδε παῖδες, ἑζόμεσθ' ἐφέστιοι, | ἀνδρῶν δὲ πρῶτον ἔν τε συμφοραῖς βίου | κρίνοντες ἔν τε δαιμόνων ξυναλλαγαῖς. Ibid. 499 ἀλλ' ὁ μὲν οὖν Ζεὺς ὅ τ' Ἀπόλλων ξυνετοὶ καὶ τὰ βροτῶν | εἰδότες· ἀνδρῶν δ' ὅτι μάντις πλέον ἢ 'γὼ φέρεται, | κρίσις οὐκ ἔστιν ἀληθής. Oed. Col. 5 σμικρὸν μὲν ἐξαιτοῦντα, τοῦ μικροῦ δ' ἔτι | μεῖον φέροντα. Ibid. 1674 ὧτινε τὸν πολὺν ἄλλοτε μὲν πόνον ἔμπεδον εἴχομεν, | ἐν πυμάτῳ δ' ἀλόγιστα παροίσομεν | ἰδόντε καὶ παθόντε. Trach. 153 πάθη μὲν οὖν δὴ πόλλ' ἔγωγ' ἐκλαυσάμην, | ἓν δ', οἷον οὔπω πρόσθεν, αὐτίκ' ἐξερῶ. Antig. 21 οὐ γὰρ τάφου νῷν τὼ κασιγνήτω Κρέων | τὸν μὲν προτίσας, τὸν δ' ἀτιμάσας ἔχει; Ibid. 89 ὅτι | ἄνους μὲν ἔρχει, τοῖς φίλοις δ' ὀρθῶς φίλος. Ibid. 162 ἄνδρες, τὰ μὲν δὴ πόλεος ἀσφαλῶς θεοὶ | πολλῷ σάλῳ σείσαντες ὤρθωσαν πάλιν· | ὑμᾶς δ' ἐγὼ πομποῖσιν ἐκ πάντων δίχα | ἔστειλ' ἱκέσθαι.

37) ad v. 1070 „*Verkünde, dass während längst (seit Agamemnons Ermordung) das Haus krankt.*“ Quocum Nauckius consentit, nisi quod, quum pro ἤδη legat δή, dicit: „*während (durch Agamemnons Ermordung) das Haus krankt.*

Electr. 514 οὔτι πω
ἔλιπεν ἐκ τοῦδ᾽ οἴκους
πολυπάμονας αἰκία.

Jam quoniam singulorum membrorum interpretationem, quantum potuimus, ad liquidum perduxisse nobis videmur, restat, ut quaestionem, quam supra seposuimus, dijudicemus. Quaeritur enim, utrum σφίσιν δή, an σφὶν ἤδη scribendum sit. Nec dubito, quin jam omnes mecum consentiant, si σφὶν ἤδη praeferendum esse contendo. Etsi enim δή particula haudquaquam prorsus absona est, quippe qua manifesta vestigia fati illius quasi digito demonstrentur, particula tamen ἤδη majorem ad augendam sententiam vim habere videtur, quippe quae fatum illud per longum jamjam temporis spatium regnare indicet.

Alterum mendum, quod in primis antistrophae versibus supra indicavimus, nondum sanatum est. Rejicienda sunt enim virorum doctorum tentamina omnia. Nam particulae δή, qua Tricliniana recensio lacunam supplevit, post ἤδη iteratae ne Hermannus quidem certa exempla afferre potuit; quod autem Lachmannus [38], cui Nauckius in appendice editionis Schneidewinianae adsentiebatur, proposuit: νοσεῖ γᾶ, id nemo probabit, qui interpretationem nostram prioris membri veram esse censebit. Alii in mutando vocabulo νοσεῖ hariolati sunt, quanquam id per se spectatum ne minimam quidem suspicionis ansam praebet. Inter hos Erfurdtius νοσοῦσιν corrigebat, quod ei regulae repugnat, secundum quam neutra pluralia cum singulari numero verbi finiti copulantur [39]. Neque majorem probabilitatem habebit νοσοῦσιν, si eam formam pro dativo pluralis participii habueris et ad σφίν dativum retuleris, quam construendi rationem Hermannus excogitavit, excogitatam tamen ipse repudiavit. Sermonis usui porro repugnat et νοσεῖται, quod Wunderus, indoctam librarii codicis Parisini conjecturam secutus, commendavit, et νοσεύει, quod Dindorfius dubitanter proposuit. A literarum deniqne ductibus nimis recedunt et νοσώδη, quod Erfurdtius rejecta priore lectione conjecit, et νοσοῦντα, quae conjectura cui debeatur nescio.

Ut statim dicam, qua ratione mihi locus sanandus esse videatur, scribendum censeo sententia ipsa non mutata:

ὅτι σφιν ἤδη τὰ μὲν ἐκ δόμων νοσεῖ,
εἶτα τὰ πρὸς τέκνων διπλῆ
φύλοπις οὐκ ἔτ᾽ ἐξισοῦ-
ται φιλοτασίῳ διαί-
τᾳ.

38) de chor. system. p. 177.

39) Exceptionem hujus regulae h. l. non esse statuendam ex iis apparebit, quae Porsonus in add. ad Eur. Hec. v. 1141 exposuit.

Omitto igitur δέ, quod post τὰ legitur, et insero εἶτα, quae vox propter antecedentem clausulam verbi νοσεῖ et ipsum illud sequens τὰ facillime excidere potuit. Quo facto δὲ illud, quod omisimus, in textum irrepsisse videtur, ut μὲν particula haberet, quo referretur. Lectio ipsa, quam proposuimus, et a metricae et a grammaticae ratione satis tuta est. Hiatus enim, qui inter νοσεῖ et εἶτα existit, in systemate glyconico, etsi raro tantummodo admittitur, offensionem non habet [40]). In paratactica autem duorum membrorum constructione ea, de qua supra disseruimus, non solum δὲ particula alterius membri propria est, sed inveniuntur etiam particulae ἀλλά [41]) et ἀτάρ [42]), quarum exempla infra posuimus. Particulam quoque εἶτα eadem vi poni potuisse vel sine exemplis concedendum erit. Atqui extat revera in ipsa Electrae fabula prorsus simile exemplum, nisi quod non ἤδη, sed πρῶτα antecedit:

Electr. 261 ᾗ πρῶτα μὲν τὰ μητρὸς, ἥ μ' ἐγείνατο,
ἔχθιστα συμβέβηκεν· εἶτα δώμασιν
ἐν τοῖς ἐμαυτῆς τοῖς φονεῦσι τοῦ πατρός
ξύνειμι, κἀκ τῶνδ' ἄρχομαι, κἀκ τῶνδέ μοι
λαβεῖν θ' ὁμοίως καὶ τὸ τητᾶσθαι πέλει.

Praeterea conferri potest usus particulae εἶτα post participia positae frequentissimus; dubitari enim non potest, quin Sophocles pro eo, quod dixit Electrae v. 1007:

οὐ γὰρ θανεῖν ἔχθιστον, ἀλλ' ὅταν θανεῖν
χρῄζων τις εἶτα μηδὲ τοῦτ' ἔχῃ λαβεῖν,

dicere potuerit: ὅταν θανεῖν μὲν χρῄζῃ τις, εἶτα μηδὲ τοῦτ' ἔχῃ λαβεῖν.

Transit chorus ad describendam conditionem Electrae verbis:

πρόδοτος δὲ μόνα σαλεύει
Ἠλέκτρα τὸν ἀεὶ πατρός
δειλαία στενάχουσ', ὅπως
ἁ πάνδυρτος ἀηδών.

In quibus versum Ἠλέκτρα τὸν ἀεὶ πατρός corruptum esse supra (p. 5) vidimus; requiritur enim glyconeus cum anacrusi. Ac profecto corruptum eum esse etiam eis statuendum erat, qui metrum versus strophici minus caute mutarunt; constructio enim ver-

40) Cf. Soph. Oed. Col. 1215 ἐπεὶ πολλὰ μὲν αἱ μακραὶ | ἁμέραι κατέθεντο δή et Rossbach, *griechische Metrik* *p. 504 sq. 533 sq.*

41) Soph. Oed. Col. 282 ξὺν οἷς σὺ μὴ κάλυπτε τὰς εὐδαίμονας | ἔργοις Ἀθήνας ἀνοσίοις ὑπηρετῶν, | ἀλλ', ὥσπερ ἔλαβες τὸν ἱκέτην ἐχέγγυον, | ῥύου με κἀκφύλασσε.

42) Soph. Trach. 54 πῶς παισὶ μὲν τοσοῖσδε πληθύεις, ἀτὰρ | ἀνδρὸς κατὰ ζήτησιν οὐ πέμπεις τινάς.

borum, qualis in prima et tertia explicatione scholiastae Laurentiani [43]), in scholiis recentioribus [44]), in explicationibus Triclinii [45]), G. Hermanni, Wunderi proponitur, tantis difficultatibus laborat, ut Sophocle indigna judicanda sit. Quas difficultates quum Schneidewinus et Hartungius optime exposuerint, satis habeo verbo monere, me, donec inveniatur, quod melius sit, Bergkii lectionem approbare, qui scholiastae Laurentiani secundam explicationem (v. adn. 43) et Dindorfii Schneidewinique conjecturas metro non convenientes secutus correxit:

Ἠλέκτρα πότμον ἀεὶ πατρός.

Ceteras conjecturas omnes, quoniam a mutato versus strophici metro proficiscuntur, rejiciendas esse per se patet [46]).

Querelas Electra lusciniae instar fundere dicitur:

οὔτε τι τοῦ θανεῖν προμηθής
τό τε μὴ βλέπειν ἑτοί-
μα, διδύμαν ἑλοῦσ' Ἐρι-
νύν.

Ac prioris quidem membri interpretatio perspicua est — mortem enim non curare Electra dicitur [47]) —, de posterioris autem membri sententia interpretes inter se dissentiunt. Erravit autem sine dubio scholiasta Laurentianus, qui verba μὴ βλέπειν proprie de oculis Electrae effodiendis dicta putabat et διδύμαν Ἐρινύν mortem et oculos effossos intelligebat [48]). Neque minorem porro errorem alius scholiasta commisit, qui ad μὴ βλέπειν supplebat αὐτούς duplicemque Erinnyn sortem Agamemnonis et Electrae

43) Schol. Laur ad v. 1075 Τὸν αεὶ πατρὸς: Λείπει ἡ περι· περὶ τοῦ πατρὸς στενάγουσα, ὡς τὸ Ὁμηρικόν·
Τῶν πάντων οὐ τόσσον ὀδύρομαι, ἀχνύμενός περ, | ὡς ἑνός. Τὸ δὲ ἑξῆς· ἀεὶ τὸν τοῦ πατρὸς μόρον στενάγουσα· ἢ τὸν ἀεί, εἰς τὸν ἀεὶ χρόνον.

44) Schol. rec. p. 269 Dind. τὸν ἀεὶ] χρόνον δηλονότι.

45) Triclin. ad v. 1075 p. 376 Dind. τὸν ἀεὶ πατρὸς] θρῆνον δηλάδη ἢ φόνον· τὸ δὲ ἀεὶ πρός τὸ στενάγουσα συναπτέον.

46) Lubet tamen eas in eorum usum adscribere, qui historiam textus in singulis locis cognitam habere haud inutile judicant. Conjecerunt autem Heathius et Mudgius, quibus G. Wolffius et Hartungius adstipulati sunt, Ἠλέκτρα οἶτον ἀεὶ πατρός. Conjecit porro Dindorfius Ἠλέκτρα τὸν ἀεὶ πότμον, cui conjecturae postea alteram Ἠλέκτρα τὸν ἑὸν πότμον substituit. Conjecerunt praeterea Schneidewinus ἁ παῖς πότμον ἀεὶ πατρός, Hoffmannus (in annalibus gymnasiorum Austriacorum 1854, p. 539) Ἠλέκτρα τόσ' ἀεὶ πατρός, Buchholz (in annalibus novis philologicis et paedagogicis vol. 76, p. 343) Ἠλέκτρ' εὔτον' ἀεὶ πατρός, Hamacherus Ἠλέκτρα βίοτον πατρός.

47) Schol. Laur. ad v. 1078 οὔτε τι τοῦ θανεῖν προμηθής] Πρόνοιαν οὐκ ἔχουσα τοῦ μὴ ἀποθανεῖν, ὅ ἐστιν, ἀφειδοῦσα τῆς ἰδίας τύχης (lege ψυχῆς, respexit enim verba El. v. 980) καὶ ῥιψοκινδυνοῦσα. Tricl. ad v. 1078 p. 376 Dind. τοῦ θανεῖν] ἀντὶ τοῦ προμήθειαν καὶ φροντίδα οὐκ ἔχουσα, ἤγουν οὐ φροντίζουσα εἰ τεθνήξεται· οἱ δὲ τοῦ μὴ θανεῖν γράφοντες ἀμαθεῖς.

48) Schol. Laur. ad v. 1079 Τὸ τε μὴ βλέπειν ἑτοίμα: Ἑτοίμη καὶ τῆς ὄψεως στέρεσθαι, τουτέστιν, ἀποστερηθῆναι τῶν ὀμμάτων· ἀντὶ τοῦ, καὶ ἀποθανεῖν ἑτοίμη, καὶ ζῶσα κολάζεσθαι· καὶ τοῦτο λέγει διδύμην Ἐρινύν.

intelligebat [49]). Sed ne eorum quidem interpretatio, qui μὴ βλέπειν „vitam relinquere“ vel „vita carere“ interpretantur [50]) et duplicem Erinnyn Aegisthum et Clytaemnestram nominari arbitrantur [51]), vera videtur esse. Si enim cum G. Hermanno vertimus: *„neque mortem curans et parata vitam relinquere, si duplicem furiam (Aegisthum et Clytaemnestram) tollere possit“*, in duobus membris per οὔτε — τε conjunctis mera tautologia videtur inesse. Quod non fugit Schneidewinum, qui ubertatis nomine tautologiam dissimulare conatus est [52]). Quam expediendae difficultatis rationem etsi probare non possum, tamen et ipse non tautologiam, sed tautologiae speciem tantummodo agnosco. Quae quidem species inde nascitur, quod participium διδύμαν ἑλοῦσ' Ἐρινύν ad ambo membra referendum censuerunt interpretes. Revera autem ad alterum solum membrum pertinet, ita ut gradatio in duorum membrorum copulatione cernatur, qua Electra quum omnino mortem non curare tum vero etiam, dummodo Aegisthum et Clytaemnestram interficiat, mori parata esse dicatur. Adumbratur duobus illis enuntiatis eadem fortitudinis Electrae gradatio, quam in antecedenti scena spectatores ex ipsius Electrae et Chrysothemidis sermonibus cognoverant. Electra enim statim post nuntium de morte Orestis acceptum desperationi acerrimae se dederat nec amplius vitam tolerare se posse pronuntiarat (v. 817):

ἀλλ' οὔτι μὴν ἔγωγε τοῦ λοιποῦ χρόνου
ἔσομαι ξύνοικος, ἀλλὰ τῇδε πρὸς πύλῃ
παρεῖσ' ἐμαυτὴν ἄφιλος αὐανῶ βίον·
πρὸς ταῦτα καινέτω τις, εἰ βαρύνεται
τῶν ἔνδον ὄντων· ὡς χάρις μέν, ἢν κτάνῃ,
λύπη δ', ἐὰν ζῶ· τοῦ βίου δ' οὐδεὶς πόθος.

Ad hanc Electrae conditionem respicit chorus verbis οὔτε τι τοῦ θανεῖν προμηθής. Postquam autem ab hac desperatione respiravit, non jam mori simpliciter cupit Electra, sed Aegisthi interficiendi consilio inito ne mortis quidem periculo a proposito deterretur. Perseverat enim in hoc consilio, quanquam Chrysothemis capitis periculum eam adituram esse ostenderat (v. 1001):

49) Ibid. ἡ ἐπὶ θανάτου τὰ δύο· ἑτοίμη μὴ βλέπειν αὐούς, ἀλλ' ἐν σκότει γενέσθαι τοῦ θανάτου, ἐν τῇ αὐτῇ Ερινύει (lege Ἐρινύι) γενομένη τῷ Ἀγαμέμνονι, ὅ ἐστι διπλῆ Ἐρινύς.

50) Schol. recent. p. 269 Dind. μὴ βλέπειν] ἤγουν μὴ ζῆν. Cui interpretationi adstipulantur recentiores interpretes omnes.

51) Schol. Laur. ad v. 1080 Διδύμαν Ἐρινύν] Αἴγισθον καὶ Κλυταιμνήστραν. Schol. rec. p. 269 Dind. διδύμαν ἐριννύν] ἤγουν δύο ἐπικαταράτους καὶ ἀποτροπαίους ἀνθρώπους, τὸν Αἴγισθον καὶ Κλυταιμνήστραν. Quam interpretationem et ipsam omnes recentiores interpretes comprobaverunt.

52) Ad. v. 1078 ff. *„Die freudige Bereitwilligkeit, den Sturz der Mörder mit dem Leben zu erkaufen, drückt die Redefülle aus* οὔτε τι τοῦ θ. πρ. τό τε μὴ βλ. ἑτ., *neque mortem curans et parata carere vita, modo . . . .“*

τίς οὖν τοιοῦτον ἄνδρα βουλεύων ἑλεῖν
ἄλυπος ἄτης ἐξαπαλλαχθήσεται;
ὅρα κακῶς πράσσοντε μὴ μείζω κακὰ
κτησώμεθ᾿, εἴ τις τούςδ᾿ ἀκούσεται λόγους.
λύει γὰρ ἡμᾶς οὐδὲν οὐδ᾿ ἐπωφελεῖ,
βάξιν καλὴν λαβόντε, δυςκλεῶς θανεῖν.

Quibus auditis Electra etsi rem sibi soli esse agendam intellexerat, nihilo tamen minus consilium Aegisthi occidendi verbis timoris prorsus expertibus pronuntiat (v. 1019):

ἀλλ᾿ αὐτόχειρί μοι μόνῃ τε δραστέον
τοὖργον τόδ᾿, οὐ γὰρ δὴ κενόν γ᾿ ἀφήσομεν.

Atque haec animi constantia est, quae respicitur verbis chori τό τε μὴ βλέπειν ἑτοίμα, διδύμαν ἑλοῦσ᾿ Ἐρινύν.

Clauditur antistropha interrogatione in laudem Electrae prolata:

τίς ἂν εὔπατρις ὧδε βλάστοι [53]);

Adjectivum εὔπατρις duplici sensu hoc loco dictum esse, ita ut Electram et nobili genere ortam et optimam erga patrem filiam significaret, Schneidewinus [54]) existimavit; rectius tamen Wunderus solam posteriorem significationem statuisse mihi videtur [55]). Neque enim nobile genus Electrae laudandum erat, quippe quae laus Chrysothemidi eodem jure tribui posset; immo pietas erga patrem consilio Aegisthi interficiendi comprobata celebranda erat, propter quam in stropha altera ἀρίστα παῖς Electra nominatur et in antistropha altera palmam legibus divinis observandis nacta esse dicitur [56]).

Stropha altera in laudanda Electra versatur tota:

οὐδεὶς τῶν ἀγαθῶν
ζῶν κακῶς εὔκλειαν αἰσχῦναι θέλει,
νώνυμος, ὦ παῖ παῖ.
ὡς καὶ σὺ πάγκλαυτον αἰῶνα κοινὸν εἵλου,
τὸ μὴ καλὸν καθοπλίσασα δύο φέρειν ἐν ἑνὶ λόγῳ,
σοφά τ᾿ ἀρίστα τε παῖς κεκλῆσθαι.

53) Particulam οὖν, quae in cod. Laur. post ἂν legitur, recte omisit Triclinius ad v. 1081 p. 376 Dind. οἱ γράφοντες, τίς ἂν οὖν, οὐκ ἴσασι τὰ περὶ τῶν μέτρων· διὸ περισσὸν κείμενον ἐξεβλήθη παρ᾿ ἐμοῦ τὸ οὖν· ἔχει δὲ καὶ πρὸς τὴν σύνταξιν μᾶλλον ὀρθῶς οὑτωσὶ κείμενον.

54) Ad v. 1058 seq. „*So sehr bewährt sie sich als edle Tochter des edeln Vaters.*“ ad v. 1075 „*der Klage um den Vater, welche den Kern des Gedankens bildet, und um derentwillen El. gleich* εὔπατρις *heisst.*“ ad v. 1078 seq. „*El. bewährt sich als* εὔπατρις, *da sie ihrer edeln Abstammung würdig handelt.*“

55) ad v. 1064 „Locutione εὐπάτριδα βλαστεῖν, quae initio valuit *optimo parente natum esse*, nihil aliud hic significatur, quam *optimam filiam esse.*“

56) Quapropter non probo Nauckii rationem, qui in tertia editione Electrae Schneidewinianae ea omisit, quae Schneidewinus ad v. 1075 adscripserat, qua ratione duplicem quidem sensum sustulit, verum tamen sensum obliteravit.

In primo versu primum quaeritur de vi ac significatione adjectivi ἀγαθῶν. Negari non potest ex Sophoclis mente τοὺς ἀγαθοὺς non esse bonos, sed *nobiliores, generosa stirpe exortos*, id quod Jacobsius in editione Wunderiana recte monuit; attamen inde non sequitur, ut cum Schneidewino et Nauckio genitivum τῶν ἀγαθῶν pro genitivo originis habendum esse censeamus [57]), quum sine dubio genitivus sit partitivus. Discrimen quidem satis leve est, sive vertimus: „nemo nobilium gloriam commaculare vult", sive Schneidewini interpretationem secuti: „nemo, qui ex nobilibus ortus est, gloriam commaculare vult"; attamen non magis nunc, quam antea in voce εὔπατρις, nobilis *origo* Electrae praedicanda est, quippe cujus etiam Chrysothemis particeps sit; immo in *ipsius Electrae* nobilitate celebranda poeta versatur. Neque est profecto quidquam in tota enuntiatione, quod Schneidewini rationem commendet; temere enim egit, quod εὔκλειαν *gloriam gentis* interpretatus est, quum ipsius Electrae bona fama aperte intelligenda sit. Significatur nimirum bona fama eadem, cujus spe Electra sororem ad fortitudinem exhortari conata erat:

v. 972 λόγων γε μὴν εὔκλειαν οὐχ ὁρᾷς ὅσην
σαυτῇ τε κἀμοὶ προςβαλεῖς πεισθεῖσά μοι.
v. 984 τοιαῦτά τοι νὼ πᾶς τις ἐξερεῖ βροτῶν,
ζώσαιν θανούσαιν θ' ὥςτε μὴ ἐκλιπεῖν κλέος.

Quod autem eadem sententia, quam poeta hoc loco profert, nonnunquam ita pronuntiatur, ut turpis vita generosa stirpe exortis indigna esse dicatur [58]), id haudquaquam nos cogit, ut hoc quoque loco generosae originis notionem urgeamus. Eadem enim sententia eodem jure de ipsis nobilibus praedicatur, praesertim quum per se pateat nobiles non esse nisi nobili genere ortos.

Deinde de lacuna explenda agitur, quam in primo versu inesse metrum versus antistrophici: ζώῃς μοι καθύπερθεν ostendit. Atque Hartungius [59]) quidem, qui et ipse nobilem originem Electrae urgeri a poeta arbitrabatur, lacunam explevit participio φύς, desumto illo ex v. 970:

57) ad v. 1082 sq. „*Keiner, der von wahrhaft* (τῶν) *Edeln abstammt und zu ihnen gehört* (ἀγαθὸς κἀξ ἀγ.), *versteht sich dazu, durch ein schimpfliches Dasein den Ruhm seines Geschlechtes zu schänden und seinen edeln Namen zu beschimpfen.*"

58) Cf. El. v. 989 ζῆν αἰσχρὸν αἰσχρῶς τοῖς καλῶς πεφυκόσιν. Aj. v. 479 ἀλλ' ἢ καλῶς ζῆν ἢ καλῶς τεθνηκέναι | τὸν εὐγενῆ χρή. Trach. 721 ζῆν γὰρ κακῶς κλύουσαν οὐκ ἀνασχετόν, | ἥτις προτιμᾷ μὴ κακὴ πεφυκέναι.

59) ad v. 1065 „*Die Lücke haben wir nicht mit einem Flickworte, wie* γάρ *u. s. w., sondern mit demjenigen Worte, welches der Sinn fordert, und welches wegen der Abwechslung mit dem nachfolgenden* ζῶν *sehr natürlich ausgelassen wurde, ausgefüllt. Den geforderten Sinn hatte Jacobs erkannt*: „οἱ ἀγαθοὶ esse videntur *nobiliores, generosa stirpe exorti*", *aber um ihn zu erlangen, musste* φὺς *beigefügt werden.*" Erravit vir doctus, quod Jacobsium τῶν ἀγαθῶν pro genitivo originis habuisse censuit.

ἔπειτα δ', ὥςπερ ἐξέφος, ἐλευθέρα
καλεῖ τὸ λοιπόν.

Quae conjectura ob eam ipsam causam solido fundamento caret, quod nobilem originem Electrae h. l. a poeta urgeri non potuisse vidimus. Hermannus autem et Dindorfius particulam γάρ inseruerunt, quia apud Stobaeum Serm. XXXVII, 4 in editione Grotii p. 145 locus Sophocleus inserta falso loco particula γάρ citatur: οὐδεὶς τῶν γὰρ ἀγαθῶν. Verum enimvero particulam γάρ a Sophocle profectam esse persuadere mihi non possum, quoniam sententiarum nexui parum apta est. Neque enim causa antecedentis sententiae: τίς ἂν εὔπατρις ὧδε βλάστοι; affertur, sed asyndeto vere Sophocleo [60]) nova sententia proponitur, quae postea demum exemplo Electrae illustratur. Schneidewinus denique et Bergkius inseruerunt particulam ἄν, mutato simul indicativo θέλει, quem codices exhibent, in optativum θέλοι. Ut concedam Sophoclem optativo modo cum ἄν particula conjuncto uti *potuisse*, nemo tamen indicativum in sententia ex poetae mente nulli dubitationi obnoxia eodem jure poni potuisse infitias ibit. Orionis autem (Anthol. 7, 11) auctoritas, qua Schneidewinus et Bergkius commoveri se passi sunt, propterea parvi aestimanda mihi videtur, quod ille in loco Sophocleo citando solum optativum, non particulam ἄν, exhibet. Aeque enim facile Orionis illud θέλοι, atque codicum Sophocleorum θέλει, ex librarii errore oriri potuit. Quae quum ita sint, ipse lacunam particula τοί explendam esse censeo, quippe qua Sophocles in sententiis generalibus cum vi quadam proferendis uti solitus sit. Cf. in sententia simili:

Phil. v. 475 τοῖσι γενναίοισί τοι
τό τ' αἰσχρὸν ἐχθρὸν καὶ τὸ χρηστὸν εὐκλεές [61]).

Jam vero quaestio de sensu verborum ζῶν κακῶς oritur, quae sane gravissima est, quoniam inde interpretatio loci conclamati, qui sententiam generalem excipit, pendet. Quaeritur autem, ζῶν κακῶς utrum de *misera* vita, an de *turpi* intelligenda sit. De misera vita intellexerunt scholiasta recentior [62]), G. Hermannus [63]),

60) Cf. quae de asyndetis apud Sophoclem in: *Verhandlungen der Wiener Philologenversammlung* pag. 31, not. 32 et ad locos ibi laudatos monuimus.

61) Praeterea conferantur loci Sophoclei: Phil. 837 καιρός τοι πάντων γνώμαν ἴσχων | πόλυ παρὰ πόδα κράτος ἄρνυται. 1140 ἀνδρός τοι τὸ μὲν εὖ δίκαιον εἰπεῖν, | εἰπόντος δὲ μὴ φθονεράν | ἐξῶσαι γλώσσας ὀδύναν. Oed. Col. 880 τοῖς τοι δικαίοις χὠ βραχὺς νικᾷ μέγαν. 1187 τά τοι καλῶς | εὑρημέν' ἔργα τῷ λόγῳ μηνύεται. Aj. 268 τό τοι διπλάζον, ὦ γύναι, μεῖζον κακόν. 580 κάρτα τοι φιλοίκτιστον γυνή. 988 τοῖς θανοῦσί τοι | φιλοῦσι πάντες κειμένοις ἐπεγγελᾶν. El. 415 πολλά τοι σμικροὶ λόγοι | ἔσφηλαν ἤδη καὶ κατώρθωσαν βροτούς. 445 ὅρα, πόνου τοι χωρὶς οὐδὲν εὐτυχεῖ. 917 τοῖς αὐτοῖσί τοι | οὐχ αὑτὸς ἀεὶ δαιμόνων παραστατεῖ.

62) Schol. rec. ad v. 1082 p. 269 Dind. οὐδεὶς ἀπὸ τῶν ἀγαθῶν διὰ τὸ ζῆν δυστυχῶς θέλει ἄτιμον ποιῆσαι τὸ κλέος τῆς εὐγενείας ἀνωνύμως, ἤγουν ἐν ἀφανείᾳ.

63) G. Hermannus verba ζῶν κακῶς interpunctione a ceteris verbis distinxit. Participio igitur sensum concessivum „etsi misere vivit" tribuisse videtur.

Wunderus [64]), Fr. Jacobsius [65]), Luebkerus [66]), Schneidewinus [67]); de turpi quod sciam solus Nauckius [68]). Ac verba quidem per se spectata vitam miseram significare posse haud sane negaverim. Concedo porro libenter vitam miseram homine nobili videri posse indignam [69]). Verum enimvero plurimis locis, ubi similis sententia a poetis tragicis profertur, non de misera, sed de turpi vita agitur [70]), nec profecto in Electrae laudem dici poterat: „nemo nobilium misera vita gloriam suam commaculare vult“, quoniam ipsa Electra per multos annos miserrima vitae conditione usa erat ipsaque hac vitae miseria apud Sophoclem gloriatur [71]). Atque hoc ipsum est, quod G. Hermannum (adn. 63) et Schneidewinum (adn. 67) commovisse videtur, ut participio ζῶν sensum concessivum tribuerent;

64) Wunderus ad v. 1065 sq. „Pessime vulgo verba ζῶν κακῶς et explanata sunt et interpunctione a ceteris verbis separata. Hoc enim dicit poeta: οὐδεὶς τῶν ἀγαθῶν ζῆν κακῶς καὶ τῷ κακῶς ζῆν εὔκλειαν αἰσχῦναι θέλει νώνυμος, i. e. nemo hominum praeclarorum *misera* vitae conditione uti eaque splendorem commaculare suum vult, ita ut nomen ejus extinguatur, sed ejusmodi vitae mortem anteponit.“

65) Fr. Jacobs ad v. 1065 ed. Wund. „κακῶς ζῆν est vita uti miserabili, id est, nobili origine indigna.“

66) Luebkerus l. c. p. 15 *„Kein guter Mensch will ja im Elend seinen Namen schänden lassen.“*

67) Schneidewinus ad v. 1058 sq. *„Wie es die Art Edler ist, durch Missgeschick sich nicht zu Unwürdigkeiten zu verstehen.“* ad v. 1085 sq. *„Auch* ζῶσα κακῶς *hält El. ihre* εὔκλεια *aufrecht.“* Unde apparet, Schneidewinum in participio interpretando G. Hermannum secutum esse. Ipse tamen in interpretandis verbis ζῶν κακῶς sibi repugnavit, quum ad v. 1082 seq. dixit: *„Keiner — versteht sich dazu, durch ein schimpfliches Dasein den Ruhm seines Geschlechts zu schänden und seinen edeln Namen zu beschimpfen.“*

68) Nauckius ad v. 1058—1097 *„Wie es die Art Edler ist, nie zu Unwürdigem sich zu verstehen.“* ad v. 1082 Schneidewini verba, quae supra adscripsimus adoptavit.

69) Cf. Soph. Aj. 473 αἰσχρὸν γὰρ ἄνδρα τοῦ μακροῦ χρῄζειν βίου, | κακοῖσιν ὅστις μηδὲν ἐξαλλάσσεται |. — ἀλλ' ἢ καλῶς ζῆν, ἢ καλῶς τεθνηκέναι | τὸν εὐγενῆ χρή· πάντ' ἀκήκοας λόγον. Similiter Aeschylus in Ὅπλων κρίσ. Fragm. 171 Nauck: τί γὰρ καλὸν ζῆν βίον, ὃς λύπας φέρει; vitam miseram in mente habuit.

70) Cf. Soph. El. 489 ζῆν αἰσχρὸν αἰσχρῶς τοῖς καλῶς πεφυκόσιν. Trach. 721 ζῆν γὰρ κακῶς κλύουσαν οὐκ ἀνασχετόν, | ἥτις προτιμᾷ μὴ κακὴ πεφυκέναι. Aesch. Ixion. 85 Nauck: βίου πονηροῦ θάνατος εὐκλεέστερος. Aesch. Inc. 392 ζωῆς πονηρᾶς θάνατος αἱρετώτερος· | τὸ μὴ γενέσθαι δ' ἐστὶν ἢ πεφυκέναι | κρεῖσσον κακῶς πάσχοντα. Eurip. Hec. 378 θανὼν δ' ἂν εἴη μᾶλλον εὐτυχέστερος | ἢ ζῶν· τὸ γὰρ ζῆν μὴ καλῶς μέγας πόνος. Huc traxerim etiam ea fragmenta, in quibus, quia sententiarum nexus non est notus, dijudicari certis argumentis non potest, utrum misera an turpis vita intelligenda sit. Veluti Eur. Fragm. 363 Nauck (ex emendatione Gomperzii in Mus. Rhen. 13, p. 477): ἐγὼ δὲ τοὺς καλῶς τεθνηκότας | ζῆν φημὶ μᾶλλον τοῦ βλέποντος μὴ καλῶς. Fragm 599 Nauck οὐκ οὖν τὸ μὴ ζῆν κρεῖσσον ἐστ' ἢ ζῆν κακῶς; Soph. Pel. 445 Nauck: τὸ μὴ γὰρ εἶναι κρεῖσσον ἢ τὸ ζῆν κακῶς. Praeterea cf. epigramma apud Plut. Pelop. 1: οἳ θάνον οὔτε τὸ ζῆν θέμενοι καλὸν οὔτε τὸ θνήσκειν, | ἀλλὰ τὸ ταῦτα καλῶς ἀμφότερ' ἐκτελέσαι. Xen. de Rep. Lac. 9, 1 ἄξιον δὲ τοῦ Λυκούργου καὶ τόδε ἀγασθῆναι, τὸ κατεργάσασθαι ἐν τῇ πόλει αἱρετώτερον εἶναι τὸν καλὸν θάνατον ἀντὶ τοῦ αἰσχροῦ βίου. Platon. Criton. 8 οὐ τὸ ζῆν περὶ πλείστου ποιητέον, ἀλλὰ τὸ εὖ ζῆν. Alcib. I, 11 οὐδὲ ζῆν ἂν ἔγωγε δεξαίμην δειλὸς ὤν.

71) El. v. 257 πῶς γὰρ ἥτις εὐγενὴς γυνή, | πατρῷ' ὁρῶσα πήματ' οὐ δρῴη τάδ' ἂν κ. τ. λ. 354 οὐ ζῶ; κακῶς μέν, οἶδ'· ἀπαρκούντως δ' ἐμοί. 393 καλὸς γὰρ οὑμὸς βίοτος, ὥστε θαυμάσαι (quae ironice dicta sunt). 599 ἢ ζῶ βίον μοχθηρόν, ἔκ τε σοῦ κακοῖς | πολλοῖς ἀεὶ ξυνοῦσα τοῦ τε συννόμου. 818 ἀλλὰ τῇδε πρὸς πύλῃ | παρεῖσ' ἐμαυτὴν ἄφιλος αὐανῶ βίον. 850 κἀγὼ τοῦδ' ἴστωρ, ὑπερίστωρ, | πανδύρτῳ παμμήνῳ πολλῶν | δεινῶν στυγνῶν τ' αἰῶνι. 1093 ἐπεί σ' ἐφεύρηκα μοίρᾳ μὲν οὐκ ἐν ἐσθλᾷ | βεβῶσαν.

quae tamen explicandi ratio et ipsa rejicienda est, quoniam cum sequenti enuntiatione conciliari non potest, nisi *αἰῶνα πάγκλαυτον* de morte intellexeris, quod falsum esse mox videbimus. Acquiescendum est igitur in Nauckii sententia, ex qua verba *ζῶν κακῶς* de vita turpi dicta sunt, ita ut chorus neminem nobilium vita turpi gloriam commaculare velle dicat. Facile autem apparet vitam turpem eam significari, quam Chrysothemidi Electra exprobraverat. Chrysothemis enim mollitie ingenii quadam et timiditate muliebri ducta matri ejusque marito obsequentem se praebebat [72]), Electra contra servitutem illam aegerrime ferebat turpemque sibi esse censebat [73]).

Quum usus prolepticus adjectivi νώνυμος difficultatem non habeat [74]), neque sit, cur de lectione versus: νώνυμος, ὦ παῖ παῖ, dubitemus [75]), statim ad eam sententiam interpretandam accedemus, qua Electram secundum regulam illam, quam modo exposuimus, vivere chorus pronuntiat. Qua in sententia ante omnia quaerendum est, utrum αἰών ille πάγκλαυτος κοινός, quem Electra elegisse dicitur, *mors* an *vita misera* intelligenda sit. Atque ei interpretes, qui verba ζῶν κακῶς de vita misera dicta esse existimaverant, πάγκλαυτον αἰῶνα κοινὸν flebilem mortem omnibus mortalibus communem interpretarentur necesse erat. Nam si sententia generalis: „nemo nobilium vita *misera* gloriam commaculare vult“ praecedit, non potest laudi Electrae verti, quod vitam *miseram* elegit. Itaque mortem intellexerunt G. Hermannus [76]), Dindorfius [77]), Wunderus [78]), Luebkerus [79]) Capellmannus [80]),

72) Cf. Soph. El. v. 332 καίτοι τοσοῦτόν γ' οἶδα κἀμαυτήν, ὅτι | ἀλγῶ ἐπὶ τοῖς παροῦσιν· ὥστ' ἄν, εἰ σθένος | λάβοιμι, δηλώσαιμ' ἂν οἷ' αὐτοῖς φρονῶ· | νῦν δ' ἐν κακοῖς μοι πλεῖν ὑφειμένῃ δοκεῖ. v. 339 εἰ δ' ἐλευθέραν με δεῖ | ζῆν, τῶν κρατούντων ἐστὶ πάντ' ἀκουστέα. v. 351 οὐ ταῦτα πρὸς κακοῖσι δειλίαν ἔχει; v. 357 σὺ δ' ἡμῖν ἡ μισοῦσα μισεῖς μὲν λόγῳ, ἔργῳ δὲ τοῖς φονεῦσι τοῦ πατρὸς ξύνει. | ἐγὼ μὲν οὖν οὐκ ἄν ποτ', οὐδ' εἴ μοι τὰ σὰ | μέλλοι τις οἴσειν δῶρ', ἐφ' οἷσι νῦν χλιδᾷς, | τούτοις ὑπεικάθοιμι· σοὶ δὲ πλουσία | τράπεζα κείσθω καὶ περιρρείτω βίος. v. 367 οὕτω γὰρ φανεῖ κακή | θανόντα πατέρα καὶ φίλους προδοῦσα σούς.

73) Soph. El. 814 ἤδη δεῖ με δουλεύειν πάλιν | ἐν τοῖσιν ἐχθίστοισιν ἀνθρώπων ἐμοί, | φονεῦσι πατρός· ἆρά μοι καλῶς ἔχει; v. 1190 ὁθούνεκ' εἰμὶ τοῖς φονεῦσι σύντροφος. | Or. τοῖς τοῦ; πόθεν τοῦτ' ἐξεσήμηνας κακόν; | El. τοῖς πατρός· εἶτα τοῖςδε δουλεύω βίᾳ. v. 1042 τούτοις ἐγὼ ζῆν τοῖς νόμοις οὐ βούλομαι.

74) Recte schol. Laur. ad v. 1084 νώνυμνος τῆς εὐκλείας θέλων γενέσθαι adscripsit.

75) Quod in cod. Laur. legitur νώνυμνος, jam pridem correctum est in νώνυμος. Non respondet quidem versui νώνυμος ὦ παῖ παῖ versus antistrophicus, qualis in cod. Laur. legitur νῦν ὑπὸ χεῖρα ναίεις; sed sine dubio recte corruptelae sedem in antistropha quaesiverunt vv. dd., nec dubito, quin Sophocles ibi scripserit νῦν ὑπόχειρ ναίεις. Quae Bergkius in stropha aliquando conjecerat, νώνυμος ὦ πάϊ ὦ παῖ, ita ut in antistropha scriberetur νῦν ὑποχείρια ναίεις, ea ne ipsi quidem nunc satisfacere confitetur.

76) G. Hermannus ad v. 1074 „πάγκλαυτον αἰῶνα κοινὸν mortem dici, recte vidit Erfurdtius, nec fieri potest (?), ut haec alium sensum habeant.“

77) Dindorfius ad v. 1085 „αἰῶνα κοινὸν mortem dici monuit Erfurdtius.“

78) Wunderus ad v. 1068 „Ita tu quoque illaetabile fatum commune praetulisti. Respicit chorus ad ea quae dixit v. 1061—1063 οὔτε τι — ἐρινύν. Non opus esse puto, ut post ea, quae ad v. 1065 sq. modo adnotavi, pluribus exponam verba πάγκλ. αἰῶνα κοινόν

Schneidewinus [81]). Ac sententia quidem per se spectata haudquaquam absurda, immo vere Sophoclea est [82]). Quum tamen interpretatio illa a falsa propositione profecta sit, redeamus necesse est ad scholiastae Laurentiani [83]) explicationem, qui vitam miseram intelligit. Quem scholiasta recentior secutus est [84]), quanquam verba ζῶν κακῶς ad vitam miseram retulerat. Nauckius quoque a recta antecedentis sententiae interpretatione profectus his adstipulatur [85]). Ac profecto turpi vitae, qualem Chrysothemis elegerat, optimo jure miseram vitam, qualem Electra degendam sibi censuerat, opponi, ex eis, quae supra (cf. adn. 71. 72. 73) monuimus, apparet. Accedit quod, etiamsi nullam antecedentium rationem habeamus, haec interpretatio necessaria est. Vocabulum αἰών enim, ut Nauckius in appendice editionis Schneidewinianae [86]) recte monuit, nunquam neque apud alios scriptores [87]) neque apud Sophoclem mortis significatione praedita est, immo in ipsa Electrae fabula saepius de vita Electrae usurpatur [88]).

Quae quum ita sint, etsi de sententia universa dubitari non potest, restat

nullo pacto, quae vulgaris editorum opinio est, de misera vitae conditione dicta esse posse. Item ex sequentibus apparet *mortem* iis significari, ut recte monuit Erfurdtius, cui solus accessit. Hermannus." Ex sequentibus nihil certi colligi posse apparet, quoniam sequentia aperte corrupta sunt.

79) Luebkerus l. c. p. 15 *„sie aber, mit Gefahr des Lebens, das Böse bekämpfend."*

80) Capellmannus, *die weiblichen Charaktere bei Sophokles. Coblenz 1843, p. 20 „Auch dieses Lob wird ihr vom Chore v. 1074 bestätigt, dass sie das allbeweinte gemeinsame Loos, den Tod, sich wählend und bekämpfend immer das Unedle"* etc.

81) Schneidewinus ad v. 1058 sq. *„so hat El. einen thränenreichen Untergang sich erkoren."* ad v. 1085 sq. *„sie hat sich das allen Sterblichen gemeinsame allbeweinte Dasein im Hades auserkoren."*

82) Praeter locos in adn. 69 et 70 laudatos cf. Soph. Antig. 464 ὅςτις γὰρ ἐν πολλοῖσιν, ὡς ἐγώ, κακοῖς | ζῇ, πῶς ὅδ' οὐχὶ κατθανὼν κέρδος φέρει; 555 σὺ μὲν γὰρ εἵλου ζῆν, ἐγὼ δὲ κατθανεῖν.

83) Schol. Laur. ad v. 1084 οὕτω καὶ σύ, ὦ παῖ, εἵλου τὸν αἰῶνα πάγκλαυτον· κοινὸν δέ, διηνεκῆ καὶ κοινὸν ἐπὶ παντὸς αἰῶνος ἑαυτῆς.

84) Schol. rec. ad v. 1082 pag. 259 Dind. πάγκλαυστον αἰῶνα] διηνεκῆ θρῆνον ἔχουσαν ζωήν.

85) Nauckius ad v. 1058—1097 *„so hat El. ein thränenreiches Loos sich erkoren."*

86) Quod ibidem monuit rem nondum eo redactam esse, ut Electra jamjam apud inferos versaretur, parvi momenti est. Fieri enim potest, ut Electra, etsi nondum apud inferos est, mortem elegisse dicatur, quoniam consilium cepit, in quo exequendo mortis periculum aditura erat.

87) Nihil probant loci a Wundero allati: Pind. Isthm. 6, 41 ἕκαλος ἔπειμι γῆρας ἔς τε τὸν μόρσιμον αἰῶνα. Eurip. Phoen. 1492 κοινῷ θανατῷ | σκοτίαν αἰῶνα λαχόντων. Nam in his mors αἰών, dicitur quasi vita quaedam. Αἰών morti opponitur ab Homero Iliad. 9, 413 εἰ μέν κ' αὖθι μένων Τρώων πόλιν ἀμφιμάχωμαι, | ὤλετο μέν μοι νόστος, ἀτὰρ κλέος ἄφθιτον ἔσται· | εἰ δέ κεν οἴκαδ' ἵκωμαι φίλην ἐς πατρίδα γαῖαν, | ὤλετό μοι κλέος ἐσθλόν, ἐπὶ δηρὸν δέ μοι αἰών.

88) Soph. El. 850 κἀγὼ τοῦδ' ἴστωρ, ὑπερίστωρ, | πανδύρτῳ παμμήνῳ πολλῶν | δεινῶν στυγνῶν τ' αἰῶνι. 1024 ἄσκει τοιαύτην οὖν δι' αἰῶνος μένειν. Praeterea cf. Phil. 179 ὦ δύστανα γένη βροτῶν, | οἷς μὴ μέτριος αἰών. 1352 ὦ στυγνὸς αἰών. Oed. Col. 1734 ποῖ δῆτ' — αἰῶνα τλάμον' ἕξω. Antig. 579 εὐδαίμονες, οἷσι κακῶν ἄγευστος αἰών. Trach. 2 ὡς οὐκ ἂν αἰῶν' ἐκμάθοις βροτῶν. 34 τοιοῦτος αἰὼν — τὸν ἄνδρ' ἔπεμπε λατρεύοντα. Aj. 631 αἰὼν Αἰακιδᾶν.

tamen difficultas in epitheto κοινός. Misera enim vitae sors, quam Electra elegit, non potest *communis* sors omnium dici, ut Wunderus [89]) et Nauckius [90]) bene monuerunt. Tantum vero abest, ut propterea αἰῶνα cum Wundero mortem interpretandam esse censeamus, quanquam revera κοινός solenne mortis et Orci epitheton est, ut difficultatem emendando expediendam esse arbitremur. Quoniam enim neque scholiastae Laurentiani [91]), qui perpetuam (διηνεκῆ) miseriam, neque Lachmanni [92]), qui conjunctam (σύνοικον) intellexit, interpretationes cum usu adjectivi κοινός concinunt, vocabulum κοινόν pro corrupto habeamus necesse est. Ac Nauckius quidem satis ingeniose Sophoclem scripsisse conjecit: αἰῶ σύνοικον. Verum etsi neque forma accusativi [93]), neque usus adjectivi σύνοικος [94]) per se spectatus nos offendit, dubito tamen, num Sophocles ita scripturus fuerit, quippe qui in ipsius Electrae conditione significanda adjectivo ξύνοικος plane alio sensu usus sit. Clytaemnestram enim dicentem fecit v. 784:

ἥδε γὰρ μείζων βλάβη
ξύνοικος ἦν μοι, τοὐμὸν ἐκπίνουσ᾽ ἀεί
ψυχῆς ἄκρατον αἷμα.

Quae verba respiciens Electra paulo post dicit v. 817:

ἀλλ᾽ οὔτι μὴν ἔγωγε τοῦ λοιποῦ χρόνου
ἔσομαι ξύνοικος, ἀλλὰ τῇδε πρὸς πύλῃ
παρεῖσ᾽ ἐμαυτὴν ἄφιλος αὐανῶ βίον.

Num credibile est poetam, qui haec scripserit, sortem miseram Electrae ξύνοικον dicturum fuisse? Equidem potius crediderim, Sophoclem ob eam ipsam causam, quod Electra in eadem domo cum matre se vitam acturam esse negaverat, forisque versari constituerat, sortem, quam Electra elegerat, dixisse ἄοικον. Ad quam conjecturam confirmandam moneo et vocabulum Sophocleum esse [95]), et

89) ad v. 1088 „Unum hoc adjicio, si αἰών vitam hic significaret, ineptissimum fore additum κοινόν."

90) ad v. 1085 sq. „Der πάγκλαυτος αἰών *der El. (d. h. das traurige Loos, das sie sich erkoren hat,) kann unmöglich als ein Gemeingut Aller bezeichnet werden, wie es durch* κοινός *geschieht. Vielleicht ist zu lesen* πάγκλαυτον αἰῶ σύνοικον εἵλου."

91) ad v. 1084 κοινὸν δέ, διηνεκῆ καὶ κοινὸν ἐπὶ παντὸς αἰῶνος ἑαυτῆς.

92) de chor. system. p. 159.

93) Ad formam tuendam Nauckius adscripsit Aesch. Choeph. 350. Eur. Phoen. 1520.

94) Non solum homines cum miseriis habitare dicuntur, veluti in Oed. R. 1206 τίς ἄταις ἀγρίαις, τίς ἐν πόνοις | ξύνοικος ἀλλαγᾷ βίου; sed etiam miseriae cum hominibus, veluti in Oed. Col. 1333 ᾧ τίς οὐκ ἐνὶ | κηλὶς κακῶν ξύνοικος; Ξύνοικος idem fere significat ac ξυνών, de quo cf. Aj. 338 τοῖς πάλαι | νοσήμασι ξυνοῦσι λυπεῖσθαι παρών. Oed. Col. 945 ὅτῳ γάμοι | ξυνόντες εὑρέθησαν ἀνόσιοι τέκνων. Ibid. 76 στέργειν γὰρ αἱ πάθαι με χὠ χρόνος ξυνὼν | μακρὸς διδάσκει.

95) Trach. 288 ἐμοὶ γὰρ οἶκτος δεινὸς εἰςέβη, φίλαι, | ταύτας ὁρώσῃ δυςπότμους ἐπὶ ξένης | χώρας ἀοίκους ἀπάτορας τ᾽ ἀλωμένους.

lectionem vulgatam *αἰῶνα κοινόν* facilius ex *αἰῶν᾽ ἄοικον* oriri potuisse, quam ex *αἰῶ σύνοικον*. Conjungenda autem verba ea ratione sunt, ut non *αἰὼν πάγκλαυτος* dicatur *ἄοικος*, sed *αἰὼν ἄοικος* dicatur *πάγκλαυτος*, eumque verissime ita dici nemo negabit, qui exilium ex sententia veterum mortis instar esse reputaverit.

Vitam miseram elegisse dicitur Electra *τὸ μὴ καλὸν καθοπλίσασα*. Quae quidem verba maximas difficultates interpretibus obstruxerunt. Inter varia interpretandi conamina sine ullo dubio ea rejicienda sunt, quae verbo *καθοπλίζειν*, quod idem valet ac Latinorum armare [96]), significationem oppugnandi, armis prosternendi, tribuerunt. Interpretes, qui tali ratione difficultatem expedire conabantur, scholiasta Laurentianus [97]), eumque secuti Dindorfius [98]), Wunderus [99]), Schneidewinus [100]), Luebkerus [101]), Capellmannus [102]), verbis *τὸ μὴ καλὸν* inimicos Electrae, Aegisthum et Clytaemnestram, significari existimabant. Quam interpretationem quominus pro vera habeam, id me praeter inusitatam verbi *καθοπλίζειν* notionem impedit, quod locutio *τὸ μὴ καλόν*, qua Sophocles sensu abstracto utitur [103]), non magis homines scelestos designare potest, quam *τὸ καλὸν* homines honestos. Atque hoc quidem argumentum G. Hermanni quoque interpretationi obstat, qui verbum quidem *καθοπλίζειν* armandi sensu accepit, sed locutionem *τὸ μὴ καλὸν καθοπλίζειν* eo sensu dictam esse censuit, ut Electra „*scelus, h. e. Aegisthum et Clytaemnestram, armare, h. e. ad dimicationem provocare*“, diceretur [104]). Praeterea autem in judicanda hac interpretatione reputandum est

96) cf. Aesch. in Ctes. 75, 33. Plut. Camill. 34 ἠναγκάσθη καὶ τοὺς οὐκ ἐν ὥρᾳ τῶν πολιτῶν, ἀλλ᾽ ἤδη προβεβηκότας καθοπλίσαι. Medio καθοπλίσασθαι, se armare, utitur Polyb. 3, 62, 7. 3, 67, 2. 11, 22, 7.

97) Schol. Laur. ad v. 1087 Τὸ μὴ καλὸν καθοπλίσασα] καταπολεμήσασα τὸ αἰσχρὸν καὶ νικήσασα· οἷον τοὺς ἐχθροὺς καταγωνισαμένη.

98) Dindorfius ad v. 1087 „καθοπλίζειν, quod armare significat, oppugnandi significatione dixit Sophocles, si sana lectio, de quo neque ego dubito, nec dubitabat Valckenarius.“

99) Wunderus ad v. 1069 sq. „Etsi fateor me ignorare, quomodo καθοπλίζειν isto sensu usurpari potuerit, tamen illud video, ejusmodi quid, quale scholiastes posuit, dici a choro hic debuisse. Nam si nexum totius loci consideramus, sensum verborum τὸ μὴ — κεκλῆσθαι non posse alium quam hunc esse intelligimus: *ut, si id, quod turpe est, oppugnasses, duplicem laudem una re consequerere, eademque sapiens et pia filia dicerere.* Sumit chorus, quod ipsa Chrysothemis diserte supra dixit 1003—1010, non sine vitae periculo Electram *oppugnare scelus illud* posse.

100) Schneidewinus ad v. 1058 sq. „*um nur durch Bekämpfung der Nichtswürdigkeit den doppelten Ruhm zu ärndten.*“ ad v. 1085 sq. „*wenn sie nur das Unedle bekämpft und ihren Ruhm rettet.*“ ad v. 1086 sq. „*mit bewaffneter Hand niederwerfen. Ein kühn geneuerter Gebrauch von* καθοπλ.“

101) Luebkerus l. c. p. 15 „*sie aber, mit Gefahr des Lebens das Böse bekämpfend, erwirbt sich doppelten Ruhm.*“

102) Capellmannus l. c. p. 20 „*dass sie . . . . und bekämpfend immer das Unedle den zweifachen Gewinn ernte.*“

103) Soph. Antig. v. 370 ἄπολις, ὅτῳ τὸ μὴ καλὸν | ξύνεστι τόλμας χάριν.

104) Herm. ad v. 1074 „Sed non opus videtur mutatione, modo haec verba ad praecedentia referas, ut sensus sit: *ita tu quoque illaetabile commune fatum praetulisti, scelus armans, ut duplicem ferres laudem, simulque et sapiens et optima filia dicerere.* Armare enim quum dicitur Electra scelus, id patet idem esse ac provocare ad dimicationem, cujus incertus est eventus: unde mortem illa praeoptasse dicitur.“

neque unquam quemquam „hostes armare“ provocandi ad dimicationem sensu dixisse, neque e re Electrae fuisse hostes armari ad dimicationem provocatos. Fore enim ut hostes vinceret sperare non potuit, nisi *inermes* eos aggrederetur. Scholiasta porro minor τὸ μὴ καλὸν impietatem erga Agamemnonem intellexisse videtur [105]), quae interpretatio aperte falsa est, quoniam neque καθοπλίσασα sensu medii καθοπλισαμένη, neque τὸ μὴ καλὸν pro πρὸς τὸ μὴ καλὸν dici potuit. Ego ipse aliquando, antequam locum corruptum esse mihi persuasi, in eam sententiam incideram, ut τὸ μὴ καλὸν ipsam illam miseram Electrae sortem, de qua antea sermo erat, intelligerem. Quae tamen interpretatio nunc mihi improbanda videtur esse, quandoquidem cum verbis τὸ μὴ καλὸν ex usu Sophoclis vituperationis notio conjuncta est [106]), quam in Electrae sortem miseram ex sententia chori minime quadrare patet.

Itaque quum omnia interpretandi conamina ad irritum cadant, locum pro corrupto habeamus necesse est. Fuerunt, qui corruptelam in ipso verbo καθοπλίσασα inesse existimarent. Verum enimvero neque καθυπνίσασα [107]), neque καθιππάσασα [108]), neque καταπαλαίουσα [109]) mihi arridet. Praeterquam enim quod eis, qui haec conjecerunt, verba τὸ μὴ καλὸν ad Aegisthum et Clytaemnestram referenda sunt, conjecturae illae aut nimis a literarum ductibus recedunt, ut καθιππάσασα et καταπαλαίουσα, aut metaphoram conditioni Electrae non convenientem poetae obtrudunt, ut καθυπνίσασα et καθιππάσασα (v. adn. 109), aut sermonis usum negligunt, ut καθυπνίσασα, qua voce quod sciam nemo veterum usus est, et καθιππάσασα, pro quo ex Aeschyli certe usu — nam apud Sophoclem vocabulum non reperitur, — medialem

105) Schol. rec. ad v. 1088 ἀσφαλίσασα σεαυτὴν πρὸς τὸ μὴ καλόν, ἤτοι ἀποστέρξαι τὰ τοῦ πατρός, δηλονότι τὴν πρὸς αὐτὸν αἰδῶ.

106) Cf. praeter locum Antigonae in adn. 103 adscriptum Trach. 725 οὐκ ἔστιν ἐν τοῖς μὴ καλοῖς βουλεύμασιν | οὐδ' ἐλπίς, ἥτις καὶ θράσος τι προξενεῖ. Aj. 1349 μὴ χαῖρ' Ἀτρείδη κέρδεσιν τοῖς μὴ καλοῖς. Creus. fragm. 325 Nauck καλὸν μὲν οὖν οὐκ ἔστι τὰ ψευδῆ λέγειν, | ὅτῳ δ' ὄλεθρον δεινὸν ἀλήθει' ἄγει, | συγγνωστὸν εἰπεῖν ἐστι καὶ τὸ μὴ καλόν.

107) G. Hermannus ad v. 1074 „Apud Sophoclem si illa veteris scholiastae interpretatio vera est, facilius suspicere καθυπνίσασα scriptum fuisse.“

108) G. Hermannus ad v. 1074 „Unde fortassis eorum aliquis, quibus verbum activum καθιππάσαι non fuit offensioni, καθιππάσασα conjiciat.“ Quam conjecturam Bergkius quoque (adn. crit. pag. XLVI) proposuit.

109) Hartungius ad v. 1059 „*Dass der Scholiast, indem er die Umschreibungen* καταπολεμήσασα, καταγωνισαμένη *gebraucht*, καθοπλίσασα *gelesen habe, ist schwer zu glauben* (Wolff p. 35. 36); *denn dass diess rüsten, nicht niederkämpfen heisse, musste er wissen. Hermann hat an* καθιππάσασα *und an* καθυπνίσασα *gedacht, indem er mehr nach dem Buchstaben, als nach dem Geiste zu emendiren suchte. Jenes passt am Allerwenigsten für ein Mädchen* (Eur. Phoen. 701 [732 Nauck]), *dieses entspricht nicht der Erklärung des Scholiasten. Es ist möglich, dass dieser* καταπαλαίσασα *las; allein der Aorist passt weder dem Sinn noch dem Metrum. Dass der Diphthong* (scilicet in καταπαλαίουσα) *vor dem andern Vokale* (*wie auch oben in* οἰωνούς *und hundertmal in* ποιεῖν) *kurz zu lesen sei, braucht wohl nicht bemerkt zu werden.*“

formam exspectaveris [110]). Aliam loci emendandi viam Kayserus [111]) ingressus est, qui vocabulo καλὸν in κακὸν mutato τὸ μὴ κακὸν pro τὸ καλὸν vel τὸ ἀγαθὸν dictum censuisse et totum locum eo sensu accepisse videtur, ut Electra id quod honestum esset, i. e. ultionem patris, armare diceretur. Attamen etsi τὸ μὴ καλὸν eodem sensu dicitur quo τὸ αἰσχρόν, haudquaquam continuo sequitur, ut τὸ μὴ κακὸν eodem sensu quo τὸ ἀγαθὸν dici potuisse concedamus.

Mihi in emendando loco corrupto inde proficiscendum videtur, quod Electra in antistropha priore haudquaquam simpliciter mori concupiscere dicitur, sed ea conditione mori parata esse, ut Aegisthum et Clytaemnestram interficiat. Hinc colligere possumus, eam ne nunc quidem simpliciter vitam miseram eligere dici, sed eadem conditione, ut Aegisthum et Clytaemnestram interficiat, vitam miseram vitae turpi, qualem Chrysothemis actura erat, praeoptare. Sperat autem revera, se tandem aliquando Aegisthum et Clytaemnestram interfecturam talique modo pulchriorem vitam adepturam esse. Hoc quum ex eis verbis apparet, quibus sororem, ut secum periculum subeat, incitare studet [112]), tum vero etiam ex eis, quae postea fratris auxilio recuperato de ea conditione dicit, in qua nuntio de fratris morte accepto versata erat (v. 1319):

ὡς ἐγὼ μόνη
οὐκ ἂν δυοῖν ἥμαρτον· ἢ γὰρ ἂν καλῶς
ἔσωσ' ἐμαυτήν, ἢ καλῶς ἀπωλόμην.

Negari igitur non poterit pulchrioris vitae spem non modo optime in sententiarum nexum quadrare, sed necessario in sententiarum serie desiderari. Pulchrior enim vita non solum vitae miserae, quam elegisse Electra paullo antea dicitur, sed etiam morti, quam perpeti parata erat, et vitae turpi, a qua abhorrebat, rectissime opponitur. Quapropter non dubito, quin poeta scripserit:

τὸ ζῆν καλὸν καθοπλίσασα,

ut totius loci sententia haec sit: „Nemo nobilium *turpi* vita gloriam commaculare vult, ita ut ignominiosus fiat; ut tu quoque *miseram* vitam praeoptasti, dummodo vitam ita armes, ut *pulchra* (i. e. honesta) evadat.“ Hanc autem sententiam revera necessariam esse etiam ex antistrophae verbis elucet:

110) Aesch. Eum. 153 νέος δὲ γραίας δαίμονας καθιππάσω. 723 ἐπεὶ καθιππάζει με πρεσβῦτιν νέος. 770. 797 ἰὼ θεοὶ νεώτεροι, παλαίους νόμους | καθιππάσασθε κἀκ χερῶν εἵλεσθέ μου.

111) v. Schneidewin. ad v. 1086.

112) v. Electr. v. 967—989, imprimis versus postremos: παῦσον ἐκ κακῶν ἐμέ, | παῦσον δὲ σαυτήν, τοῦτο γιγνώσκουσ', ὅτι | ζῆν αἰσχρὸν αἰσχρῶς τοῖς καλῶς πεφυκόσιν.

ζώῃς μοι καθύπερθεν
χειρὶ καὶ πλούτῳ τῶν ἐχθρῶν, ὅσον
νῦν ὑπόχειρ ναίεις.

Pulchriorem enim vitam Electrae chorus optare non potest, si antea simpliciter vitam miseram elegisse dicitur ob eamque rem laudatur; potest, si antea in vita misera eligenda pulchrioris vitae spe sustentari dicitur. Praeterea nunc demum intelligimus, quomodo duplicem laudem Electra consecutura sit, et sapientiae et pietatis. Sapiens enim Electra non ideo dici potest, quod honestae rei fidem servavit [113]) — nam hoc constantis est, non sapientis —; neque profecto ideo, quod „in misera et ignominiosa vita versari diutius noluit“ [114]) — nam taedium miserae vitae per se spectatum non est documentum sapientiae —; immo sapiens dicitur, quod vitam miseram quidem, sed honestam *eandemque pulchram* sibi comparat, optima filia, quod patre ulciscendo illam adipisci studet. Sententia igitur prorsus similis [115]) est ei, quam in Philocteta (v. 117) habemus:

Ul. ὡς τοῦτο γ' ἔρξας δύο φέρει δωρήματα.
N. ποίω; μαθὼν γὰρ οὐκ ἂν ἀρνοίμην τὸ δρᾶν.
Ul. σοφός τ' ἂν αὐτὸς κἀγαθὸς κεκλῇ ἅμα.

In quo loco et ipso, ut in Electrae loco, σοφός de eo dicitur, qui suo ipsius commodo consulit [116]). Comprobavit autem Electra judicio chori eam sapientiam, ad quam ipse chorus antea eam exhortatus erat (v. 1015):

πιθοῦ· προνοίας οὐδὲν ἀνθρώποις ἔφυ
κέρδος λαβεῖν ἄμεινον οὐδὲ νοῦ σοφοῦ.

Quod denique ad ipsa verba τὸ ζῆν καλὸν καθοπλίσασα attinet, neque verbum καθοπλίζειν, neque constructio accusativi duplicis, et objecti: τὸ ζῆν, et praedicati: καλόν, difficultatem habere videtur. Verbo enim illo Sophocles utitur respiciens ad ea, quae Chrysothemidem antea dicentem fecerat (v. 995):

ποῖ γάρ ποτ' ἐμβλέψασα τοιοῦτον θράσος
αὐτή θ' ὁπλίζει κἄμ' ὑπηρετεῖν καλεῖς;

Constructio autem illa duplicis accusativi satis firmatur aliorum verborum analogia, quae et ipsa, ut καθοπλίζειν, faciendi vel efficiendi notionem in se continent.

113) Schneidewinus et Nauckius ad v. 1089 „σοφά, *weil sie der guten Sache treu bleibt.*“

114) Wunderus ad v. 1069 sq. „Denique fore, ut *sapiens* diceretur, sperare Electra potuit propterea, quod in misera et ignominiosa vita, quam Clytaemnestra et Aegistho viventibus degebat, versari diutius noluit.“

115) Falsum est igitur, quod Wunderus l. c. adscripsit: „*Alia* in re composita sunt adjectiva σοφὸς et ἀγαθὸς Philoct. 119.“

116) σοφὸς γὰρ οὐδείς, ὅστις οὐχ αὑτῷ σοφός.

Ut omittam ea verba, quorum notio a notione verbi καθοπλίζειν nimis recedit, quam ut eorum analogia quidquam probari posse videatur: non majore audacia καθοπλίζειν cum duplici accusativo construxit poeta, quam verba βάπτειν [117]), ἐρείδειν [118]), τείνειν [119]), ἐπισκιάζειν [120]), αἰκίζειν [121]), παρασπᾶν [122]). Immo vero etiam ipsum verbum simplex ὁπλίζειν etsi non apud Sophoclem, apud Euripidem tamen cum duplici accusativo constructum reperitur [123]). Quodsi autem quis eo offenditur, quod non persona aut res concreta, sed notio vitae objecti verbi καθοπλίζειν locum tenet, is reputet velim neque in notione vitae quidquam inesse, quod constructionem illam duplicis accusativi prohibeat, neque exempla deesse, in quibus vitae notio cum praedicato aliquo conjuncta a verbis cum duplici accusativo constructis pendeat [124]). Simillimus est ab hac parte locutioni, de qua agimus, locus Philoctet. v. 1421:

καὶ σοί, σάφ᾽ ἴσθι, τοῦτ᾽ ὀφείλεται παθεῖν
ἐκ τῶν πόνων τῶνδ᾽ εὐκλεᾶ θέσθαι βίον.

Ipsumque illud τὸ ζῆν καλὸν cum verbo θέσθαι construxit auctor epigrammatis apud Plutarchum Pelop. cap. 1:

οἳ θάνον οὔτε τὸ ζῆν θέμενοι καλὸν οὔτε τὸ θνήσκειν,
ἀλλὰ τὸ ταῦτα καλῶς ἀμφότερ᾽ ἐκτελέσαι.

Qui locus locutioni τὸ ζῆν καλὸν καθοπλίσασα prorsus similis esset, nisi θέμενοι aestimandi notione dixisset auctor.

Quae post verba τὸ ζῆν καλὸν καθοπλίσασα leguntur in codicibus: δύο φέρειν ἑνὶ λόγῳ, ea non congruunt cum versu antistrophico νόμιμα τῶνδε φερομέναν. Quapropter probabiliter Brunckius adjecit praepositionem ἐν, quae facile propter sequens ἑνί excidere potuerat. Sed etsi metrum hoc modo restitutum est, ipsa tamen poetae verba restituta non esse videntur. Difficultatem enim exhibet infinitivus φέρειν, quem etsi in nostra quoque verborum antecedentium interpretatione ab εἵλου pendere posse concedo, unde Wunderus et Schneidewinus (v. adn. 99.

117) Trach. 573 ᾗ μελαγχόλους | ἔβαψεν ἰοὺς θρέμμα Λερναίας ὕδρας.

118) Fragm. inc. 662 Nauck ὅταν δὲ δαίμων ἀνδρὸς εὐτυχοῦς τὸ πρὶν | μάστιγ᾽ (πλάστιγγ᾽ conjecit Ellendtius) ἐρείσῃ τοῦ βίου παλίντροπον, | τὰ πολλὰ φροῦδα καὶ καλῶς εἰρημένα.

119) Antig. 715 αὔτως δὲ ναὸς ὅστις ἐγκρατῆ πόδα | τείνας ὑπείκει μηδέν.

120) Trach. 914 κἀγὼ λαθραῖον ὄμμ᾽ ἐπεσκιασμένη.

121) Aj. 401 ἀλλά μ᾽ ἁ Διὸς | ἀλκίμα θεὸς | ὀλέθριον αἰκίζει.

122) Antig. 791 σὺ καὶ δικαίων ἀδίκους | φρένας παρασπᾷς ἐπὶ λώβᾳ.

123) Eur. Alc. 34 νῦν δ᾽ ἐπὶ τῇδ᾽ αὖ | χέρα τοξήρη φρουρεῖς ὁπλίσας. Jon. 980 ξιφηφόρους σοὺς ὁπλίσασ᾽ ὀπάονας.

124) Trach. 147 ἀλλ᾽ ἡδοναῖς ἄμοχθον ἐξαίρει βίον. Duris apud Athenaeum XII, 542 D ἀνομοθέτητον ἑαυτῷ τὸν βίον κατεσκεύαζεν.

100) eum pendere arbitrabantur, hiulca tamen erit constructio neque ea, quam Sophocle dignam censeas. Accedit quod ipsa activa forma φέρειν scrupulum nobis injicit. Quanquam enim Nauckio adstipulari non possum, qui medialem formam necessario requiri in appendice editionis Schneidewinianae contendit [125]), libenter tamen medialem formam praeferendam esse concedo, praesertim quum Sophocles illa in ipsius Electrae [126]) et Philoctetae [127]) locis similibus usus sit. Quapropter emendatione Nauckii δύο φέρει δ' ἐν ἑνὶ λόγῳ Sophoclis manum revera restitutam esse persuasum mihi est.

Postquam maximis laudibus Electram prosecutus est chorus, in antistropha precatur, ut Electrae victoriam de hostibus consecuta pulchrioris vitae compos fiat:

ζώῃς μοι καθύπερθεν
χειρὶ καὶ πλούτῳ τῶν ἐχθρῶν, ὅσον
νῦν ὑπόχειρ ναίεις.

In quibus καθύπερθεν pro καθύπερθε, χειρί pro χερί, ὑπόχειρ pro ὑπὸ χεῖρα, quae lectiones sunt codicis Laurentiani, sine dubio recte restituta sunt. Restat tamen mendum in versu secundo, in quo ante τῶν syllabam brevem deesse metrum versus antistrophici commonstrat. Recentiores editores omnes in G. Hermanni conjectura acquieverunt, qui τῶν mutavit in τεῶν [128]). Quum autem pronomen possessivum non magis necessarium sit, quam articulus [129]), tum ὅσον illud, quod sequitur, aliam emendandi viam monstrare mihi videtur. Sophocli enim sine dubio ante oculos versabatur locus Homericus (Il. 15, 722):

εἴθ' ὅσον ἥσσων εἰμί, τόσον σέο φέρτερος εἴην.

Itaque quum Sophocles ipse eadem enuntiationes comparativas copulandi ratione usus sit [130]), non dubito, quin hoc quoque loco scripserit:

125) Activam enim formam per se spectatam defendi posse elucet ex eis, quae Reisigius ad Oed. Colon. p. XXVII disputavit. Cf. Oed. R. 863 εἴ μοι ξυνείη φέροντι | μοῖρα τὰν εὔσεπτον ἁγνείαν λόγων. 763 ἄξιος γὰρ ὅ γ' ἀνὴρ | δοῦλος φέρειν ἦν τῆςδε καὶ μείζω χάριν.

126) Paullo post in antistropha legitur τῶνδε φερομέναν | ἄριστα τᾷ Ζηνὸς εὐσεβείᾳ. Cf. praeterea v. 968 πρῶτον μὲν εὐσέβειαν ἐκ πατρὸς κάτω | θανόντος οἴσει.

127) Phil. 117 ὡς τοῦτο γ' ἔρξας δύο φέρει δωρήματα.

128) Hermannus ad v. 1079 „Articulus ante ἐχθρῶν tam est hoc loco a poetica dictione alienus, ut eum nullo modo ab Sophocle scribi potuisse appareat." — „Facillima mihi visa est — haec emendandi via, ut — pro τῶν scriberetur τεῶν."

129) Si versus sanus esset, τῶν non esset mutandum, neque τεῶν addubitarem, si codicis auctoritate probaretur; nam Sophocles in loco simili et articulum et pronomen possessivum posuit, Phil. 666 ὅς τῶν ἐμῶν | ἐχθρῶν μ' ἔνερθεν ὄντ' ἀνέστησας πέρα.

130) Electr. 285 οὐδὲ γὰρ κλαῦσαι πάρα | τοσόνδ', ὅσον μοι θυμὸς ἡδονὴν φέρει. Aj. 1376 καὶ νῦν γε Τεύκρῳ τἀπὸ τοῦδ' ἀγγέλλομαι, | ὅσον τότ' ἐχθρὸς ἦν, τοσόνδ' εἶναι φίλος. Oed. Col. 747 τὴν ἐγὼ τάλας | οὐκ ἄν ποτ' ἐς τοσοῦτον αἰκίας πεσεῖν | ἔδοξ', ὅσον πέπτωκεν ἥδε δύσμορος. Ibid. 789 ἔστιν δὲ παισὶ τοῖς ἐμοῖσι τῆς ἐμῆς | χθονὸς λαχεῖν τοσοῦτον, ἐνθανεῖν ὅσον (sic enim pro ἐνθανεῖν μόνον scribendum censeo).

ζώης μοι καθύπερθεν
χειρὶ καὶ πλούτῳ τ ο σ ό ν δ᾽ ἐχθρῶν, ὅ σ ο ν
νῦν ὑπόχειρ ναίεις.

In fine carminis chorus causas denuo complectitur, propter quas Electrae vitam pulchriorem optat, ita ut totum carmen laude Electrae claudatur:

ἐπεί σ᾽ ἐφεύρηκα μοίρᾳ μὲν οὐκ ἐν ἐσθλᾷ
βεβῶσαν, ἃ δὲ μέγιστ᾽ ἔβλαστε νόμιμα, τῶνδε φερομέναν
ἄριστα τὰ Διὸς εὐσεβείᾳ.

In primo versu contra Laurentiani quidem codicis auctoritatem, sed sine dubio recte ex codicibus deterioribus insertum est ἐν, quod metrum flagitat. Postremus autem versus gravioribus vulneribus afflictus est, quam quae levi medicina sanari possint. Quod enim recentiores editores variam lectionem γρ. τὰ ζηνὸς in codice Laurentiano adscriptam secuti praeeunte Porsono ad Eur. Or. 1700 scripserunt ἄριστα τᾷ Ζηνὸς εὐσεβείᾳ, id metro quidem convenit sententiamque primo oculorum obtutu satis bonam exhibet [131]), sed haudquaquam probandum est. Etsi enim Jovis mentio per se spectata nos non offendit, quippe cujus fulmina antea chorus ipse eo loco obtestatus sit, quo impietati poenam imminere dixit, admodum lubrico tamen fundamento correctio illa nititur. Quum enim verba τὰ διὸς aperte corrupta sint, suspicio nascitur, ea explicandi gratia ad verba μέγιστα νόμιμα adscripta esse, ut Jovis leges aeternas, quae revera intelligendae sunt, dici appareret. Quod si ita est, varia lectio τὰ Ζηνὸς non ex antiquo fonte hausta, sed glossematis correctio metrica esse videbitur. Ac profecto suspicio firmatur eo, quod hoc loco choro non tam pietas Electrae erga Jovem, quam erga patrem comprobata laudanda erat [132]). Praeterea nescio, quo jure quis *legum palmam* nancisci dici possit; genitivus enim τῶνδε, si lectio vera esset, cum ἄριστα esset construendus (cf. adn. 132). Huc accedit quod vox ἄριστα apud Sophoclem adverbii vice fungitur, principatus autem

131) Schol. Laur. ad v. 1095 Ἃ δὲ μέγιστ᾽ ἔβλαστε νόμιμα: Ἃ δὲ φυσικὰ καὶ μέγιστα νόμιμα ἔβλαστε, τούτων ἀποφερομένην τὰ ἄριστα. Ineptum vero est, quod in fine ejusdem scholii legitur: προςφερομένην τῇ εὐσεβείᾳ τὰ νόμιμα, ἀντὶ τοῦ, μετὰ εὐσεβείας πράττουσα.

132) Cf. v. 968 ε ὐ σ έ β ε ι α ν ἐ κ π α τ ρ ὸ ς κάτω | θανόντος οἴσει. Dubitationi, quam in textu eposui, G. Hermannus argutius quam verius interpretando vocabulo ἄριστα occurrit: „quae summae sunt leges, earum te *quod optimum est*, consequutam video reverentia Jovis, i. e. *sanctissimam illarum legum, pietatem erga parentem, observare video.*“ Quibus fere sententiam Triclinii expressit, qui et ipse sensisse videtur pietatem erga patrem commemorari debuisse. Verba ejus sunt adscripta ad v. 1096 p. 376 Dind. τῶνδε φερομέναν] ἤτοι φερομένην δὲ ἐν τῇ εὐσεβείᾳ τοῦ Διὸς ἄριστα καὶ κρείττονα, λέγω δὴ τὸ κήδεσθαι τοῦ πατρός, ἄριστα τῶνδε καὶ τούτων, ἃ μέγιστα νόμιμα ἔβλαστε παρ᾽ ἀνθρώποις· πάντων γὰρ τῶν νομίμων καὶ δικαίων τοῦθ᾽ ἓν κρεῖττον καὶ μέγιστον παρὰ πάντων ἀνακηρύττεται, φροντίδα ποιεῖσθαι πατρός, ὃ θεὸς ἀποδέχεται καὶ εὐσεβὲς λογίζεται.

virtutis ἀριστεία [133]) vel ἀριστεῖα [134]) dicitur [135]). Nec praetermittendum denique est, quod Sophocles vocem ἄριστα vel ejus similem in eadem versus sede positurus fuit, quam in stropha vox ἀρίστα obtinet.

Vulgarem loci emendandi viam deseruit Nauckius, qui a lectione τὰ διὸς profectus et διὸς ex διὰ corruptum esse arbitratus in appendice editionis Schneidewinianae scribendum censuit ἄριστα τὰν σὰν δι' εὐσέβειαν. Quam conjecturam non probo, quoniam et ipsa glossemate superstructa est. Praeterea vocabulum ἄριστα et id quidem in falsa versus sede retinet nec difficultatem, quam in genitivo τῶνδε inesse demonstravimus, removet.

Quod si recte de corruptela versus judicasse videbor, a Sophocle ipso ex verbis, quae in codice Laurentiano extant, nihil profectum esse apparebit nisi:

υ — ἀριστ — υ εὐσεβείᾳ.

Lacunas, quas indicavi, conjectura complere etsi satis periculosum est, in ea tamen sententia sum, ut cum aliqua probabilitate restitui posse censeam:

κράτος τ' ἀριστεῖα τ' εὐσεβείᾳ.

Forma verborum quam maxime congruit cum forma verborum versus strophici:

σοφά τ' ἀρίστα τε παῖς κεκλῆσθαι.

Constructio porro plana est; genitivus enim τῶνδε pendet ab εὐσεβείᾳ, ut Electra palmam nacta esse dicatur pietate, qua divinas leges (quae homines colere parentes jubent) coluerat. Vocabulum κράτος non solum loco Ajacis, quem in adn. 133 adscripsimus, commendatur, sed etiam scholiastae recentioris auctoritate quodammodo nititur, quippe qui eo vocabulo in interpretatione tali modo utatur, ut probabile sit eum, cui illa interpretatio originem debeat, ipsum illud κράτος in textu invenisse [136]).

133) Aj. 442 εἰ ζῶν Ἀχιλλεὺς τῶν ὅπλων τῶν ὧν περὶ | κρίνειν ἔμελλεν κράτος ἀριστείας τινί, | οὐκ ἄν τις αὔτ' ἔμαρψεν ἄλλος ἀντ' ἐμοῦ.

134) Aj. 463 πῶς με τλήσεται ποτ' εἰσιδεῖν, | γυμνὸν φανέντα τῶν ἀριστείων ἄτερ, | ὧν αὐτὸς ἔσχε στέφανον εὐκλείας μέγαν; Phil. 1429 ἀριστεῖ' ἐκλαβὼν στρατεύματος. Cf. Aj. 1429 τὰ πρῶτα καλλιστεῖ' ἀριστεύσας στρατοῦ.

135) Hoc observasse is videtur, a quo lectio ἐριστὰ profecta est, quam schol. Laur. commemorat ad v. 1095 Ἢ ἐριστά· ἀμφηρίστῳ τῇ εὐσεβείᾳ τῇ τοῦ Διός· ἢ ἐριστὰ τῇ εὐσεβείᾳ, ἣ ἄν τις ἐρίσειεν, ἀντὶ τοῦ περισπουδάστῳ. Lectionem tamen hanc sensum aptum non exhibere jam G. Hermannus ad v. 1086 monuit.

136) Schol. rec. ad v. 1090 p. 269 Dind. φερομέναν ἄριστα] τούτων ἀποφερομένην τὸ κράτος, τουτέστι τὸ ἐπὶ τούτοις κράτος.



